





COMMENTATIONUM

AD

THEOLOGIAM BIBLICAM PERTINENTIUM

PARS PRIMA.




SCRIPSIT

D. GUST. FRID. OEHLER.



STUTTGARTIAE,
E LIBRARIA S. G. LIESCHING.
MDCCCXLVI.

VETERIS TESTAMENTI
SENTENTIA DE REBUS POST MORTEM FUTURIS
ILLUSTRATA.



COMMENTATIO
BIBLICO-THEOLOGICA.

SCRIPSIT

GUST. FRIDERIC. OEHLER,
PHILOSOPHIAE ET THEOLOGIAE DOCTOR,
HUJUSQUE PROFESSOR P. O. IN ACADEMIA VRATISLAVIENSI.



STUTTGARTIAE,
E LIBRARIA S. G. LIESCHING.
MDCCCXLVI.

ORDINI

THEOLOGORUM EVANGELICORUM BONNENSIUM

SUMME REVERENDO

GRATUM ET VENERABUNDUM ANIMUM

TESTIFICATURUS

HUNC LIBRUM DEDICAVIT

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Excusatione egere videtur, quod hoc libro eam tractaverim quaestionem, de qua quum multi inter recentiores disseruerunt, tum nuper demum vir doctissimus mihique amicissimus, Henricus Augustus Hahn in dissertatione *de spe immortalitatis sub Vet. Test. gradatim exculta* (Vratisl. 1845) copiose et acute disputavit. Hoc unum afferre possum, librum meum, antequam docta illa commentatio prodiret, paene fuisse absolutum, meque, quamvis iis, qui ante me eandem quaestionem tractaverunt, de multis assentiar, tamen nova quaedam protulisse, ab aliorum sententiis, quas cognovi, discrepantia. Quae num vera vel certe probabilia sint, videant theologi et Vet. Testamenti et religionum historiae gnari. Me non fugit, etiamnunc plura superesse, quae nova et accuratiori disputatione indigeant. Imprimis moleste fero, quod ad eam quaestionem, quam II. E. tractavi, omnia, quae desideravi, auxilia mihi non suppetebant.

Alexandrinorum Judaeorum, praesertim Pseudo-Salomonis sententiam de rebus post mortem futuris, quamvis dignissimam existimem, quae de integro exploretur, hoc libro nolui exponere, quoniam, nisi totius Alexandrinae theologiaè rationem habueris, accurate explicari nequit. Quod quum paucis absolvere non possem, rem in aliam scribendi occasionem distuli.

Scripsi Vratislaviae, a. d. X. Calend. Mart.
MDCCCXLVI.

LIBRI CONSPECTUS.



Vetus Testamentum quid de rebus post mortem futuris statuerit, expposituri quaestionem aggredimur, de qua saepe atque in contrarias partes est disputatum. Nam quotiescunque in ecclesia christiana de ratione, quae Veteri Testamento cum Novo intercederet, controversia exstitit, etiam illud solitum est in disceptationem vocari, aeternaene ac coelestis vitae spes sub Vet. Testamento esset excitata, an id hujus vitae terminis ac terrestrium bonorum promissione spem humanam circumscripsisset.

Antiquae ecclesiae theologi, quam multum hac in re inter utrumque Testamentum interesset, quominus intelligerent, impediti sunt allegorica, quae tum temporis regnabat, Veteris Testamenti interpretatione, cujus ope, quodcunque libuit, ex Vet. Testamento repetere ausi sunt. Quid? Justinus Martyr, Clemens Alexandrinus et alii, qui Judaeorum Alexandrinorum auctoritatem hac in re secuti sunt, non dubitaverunt contendere, etiam Graecos philosophos, Platonem praesertim, quum in Aegypto Mosis et prophetarum libros cognovissent [1]), de vita beata piis post mortem proposita et de improborum suppliciis futuris ex Vet. Testamento certiores esse factos [2]). Haeretici primi fue-

---

1) Vid. Just. M. coh. ad Gr. 14. 26. 27. coll. Aristob. Jud. ap. Euseb. praep. evang. XIII, 12. — Augustin. doctr. christ. II, 29. et al.

2) E. g. Clem. Alex. Strom. I, 19, ubi Socratis verba ex Platonis Phaed. C. 13. commemoravit, ita pergit: „*ἆρ' οὐ δοκεῖ σοι πίστεως ἐκ τῶν Ἑβραϊκῶν γραφῶν τὴν μετὰ θάνατον ἐλπίδα τοῦ δικαίου σαφηνίζειν;*“ — Idem Strom. V, 14 dicit: „*τὰς μετὰ θάνατον κολάσεις καὶ τὴν διὰ πυρὸς τιμωρίαν ἀπὸ τῆς βαρβάρου* (h. e. hebraicae) *φιλοσοφίας ἥ τε ποιητικὴ πᾶσα Μοῦσα ἀλλὰ καὶ ἡ Ἑλληνικὴ φιλοσοφία ὑφείλετο.*“ — Just. M. in coh. ad Gr. C. 27. censet, Platonem in illa de Ardiaeo fabula (rep. X, p. 615 sq.) tecte Vet. Testamenti doctrinam de judicio fu-

runt, qui rem in controversiam ducerent. Praecipue Marcion in iis, quibus Novum a Vet. Testamento disjunctum esset, hoc quoque posuit, quod Judaeorum Deus *terrena* tantum, *longaevam vitam et post vitae decursum apud inferos refrigerium*, Christus vero *coelestia et aeternam vitam* promisisset [3]). In eadem sententia fuerunt Manichaei, qui et ipsi, quae Vet. Testamentum exhiberet promissa, ut humillima irridebant, nec Patriarchas quidem ullam coelestis vitae spem fovisse asseverabant [4]).

Quibus sententiis patres ecclesiastici ita sese opposuerunt, ut ipsi de eorum, quae sub Vet. Testamento promissa essent, ratione ac consilio inter se dissentirent. Tertullianus enim, quum terrestris felicitatis promissionem, quae in Vet. Testamento exstat, per allegoriam ad regnum Christi coeleste transferret, eandem simul proprie accipiendam esse arbitratus est, quoniam terrestris felicitas coelestium bonorum pignus et ipsa divina civitas aliquando terrestri splendore induta de coelo in hunc mundum descensura esset [5]). Origeni autem omnino et insulsum

---

turo et de corporis resurrectione protulisse. Cf. Augustin. Civ. D. XXII, 28. — Prolixe eandem quaestionem tractavit Euseb. praep. evang. XI, 27 sq.

3) Vid. Tertull. adv. Marc. IV, 14. 25. 34. coll. III, 24. — Animorum immortalitatem in Vet. Testamento expressam esse, ut negaret Marcion, tantum aberat, ut etiam aliam sortem piis, aliam impiis apud inferos a Judaeorum Deo paratam esse concederet: quam tamen sententiam non ex ipso Vet. Testamento, sed tantum ex Luc. 16, 23. comprobasse videtur (l. c. IV, 34.). Aliter judicavit ille Marcionista, quem Augustinus libris duobus *contra adversarium legis et prophetarum* inscriptis impugnavit. Is enim (II, 6.), „*Moses*, inquit, *omnem spem futurae resurrectionis in hominibus exstinxit*, *qui mortalem esse animam pronunciavit*, *qui eam esse sanguinem dixit.*“ — Similis Manichaei Adimanti sententia erat. Vid. Augustin. c. Adim. C. 12. (opp. ed. Lugd. T. VI. p. 77.).

4) Cf., quae Faustus apud Augustinum (c. Faust. IV, 1.) dicit: „*Tam misera* (V. T.) *et corporalis ac longe ab animae commodis haereditas est*, *ut post beatam illam N. Testamenti pollicitationem, quae coelorum mihi regnum et vitam perpetuam repromittit, etiamsi gratis eam mihi testator suus ingereret, fastidirem.*“ Cf. ibid. X, 1. — XXXIII, 1. „*sint* (sc. Judaeorum patres) *et ipsi jam in regno coelorum*, *sint in loco*, quem nec crediderant unquam, nec speraverant, ut fere ex eorum libris liquide apparet“ etc.

5) adv. Marc. IV, 14. III, 24.

et periculosum visum est, si quis, quae Vet. Testamentum de rebus futuris, de terrestribus pietatis praemiis et impiorum suppliciis dixisset, ad literam vellet interpretari: quam ob causam illa omnia tantummodo pro figuris et coelestium mysteriorum imaginibus habenda esse existimavit, concedens tamen, ipsius Veteris Testamenti temporibus solos prophetas aliosque πνευματικὸς, quae literis sacris velata essent, explorata habuisse [6]). Similis, sed non eadem fuit sententia Augustini. Censebat enim, promissionem bonorum terrestrium, quae in regno divino omnino non abjicienda, sed inferiori tantum loco habenda essent, optime quidem congruisse Veteris Testamenti temporibus; sed alia in illo contumaci et imperitae multitudini promulgata, alia piis et sapientibus rerum ac sermonum figuris significata, illam praemiorum poenarumque terrestrium exspectatione coërcitam, hos vero aeternae vitae spe erectos fuisse [7]).

---

6) de princ. fragm. L. IV. (ed. Redepenning. p. 53 sq.), in vers. Rufin. IV, 8. 13. 15. 21. 23. et al.; cf. Thomasius, Origenes p. 273. 311 sq. — Fuse, ut unum exemplum afferam, Origenes c. Cels. L. VII. (ed. Spencer. p. 350 sq.) exponit, quae in Vet. Testamento de terra sancta promissa sint, non ad Palaestinam, sed ad illam, de qua Plato (Phaed. C. 58.) locutus sit, terram puram, in puro coelo sitam referenda esse. (Cf. Euseb. praep. ev. XI, 36 fin. 37. ed. col. p. 564 sq.) — De duabus, quae ab initio exstitisse putabantur, Israëlitici populi partibus cf. annot. 20.

7) Vid. c. Adim. ed. Lugd. T. VI. p. 85. „*Si in Novo Testamento praeter aeternam possessionem, quae promittitur sanctis, hujus quoque possessionis, quae transitura est, multiplicatio non subtrahitur, — quanto magis in Vet. Testamento carnalis populi praemia talia esse debuerunt* etc.“ — C. Faust. IV, 2. „*Temporalium quidem rerum promissiones Testamento Vet. contineri, et ideo Vetus Test. appellari, nemo nostrum ambigit, — sed in illis temporalibus figuras fuisse futurorum*“ etc. — C. Adim. p. 74. „*Certis quibusdam umbris et figuris — — populus ille tenebatur, qui Testam. Vetus accepit: tamen in eo tanta praedicatio et praenunciatio Novi Test. est*, ut nulla (in Retract. 1, 22. emendat Augustinus: paene *nulla*) in evangelica atque apostolica disciplina reperiantur, quamvis ardua et divina praecepta et promissa, quae in illis etiam veteribus libris desint.“ — Imprimis accurate suam de hac re sententiam exposuit Augustinus in libro de catechiz. rud., e. g. C. 19. „*Erat ibi* (sub V. T.) *multitudo carnalis, quae propter visibilia beneficia colebat Deum. Erant ibi autem pauci futuram requiem cogitantes et coelestem patriam requirentes*“ etc. — Ibid.

Similis controversia, qualis apud Veteres fuerat, in ecclesia evangelica exstitit, quum primum Servetus et Sociniani eo potissimum, quod nusquam in lege Mosis aeterna vita promissa esset, Veteris Testamenti auctoritatem infirmare studerent [8]), postea vero Deistae simili argumento adhibito divinam Israëliticorum sacrorum originem prorsus respuerent [9]). Contra quos ecclesiae evangelicae theologi diu nihil antiquius ducebant, quam ut certam ac firmam animorum immortalitatis et vitae aeternae spem in Vet. Testamento expressam esse demonstrarent; eosque, qui aliter sentiebant, tam acriter impugnabant [10]), ut Coccejus, quum a ceterorum theologorum sententia nonnihil discessisset, acerbam insectationem effugere non posset [11]). Paucis sane pla-

---

C. 22. (Vet. Test.), *in quo carnalis populus agens veterem hominem exceptis paucis intelligentibus patriarchis et prophetis et nonnullis latentibus sanctis, carnaliter vivens carnalia praemia desiderabat a Domino Deo, et in figura spiritualium bonorum accipiebat.*" — Cf. insuper, quae Augustinus in libro c. advers. leg. et proph. ed. Lugd. T. VI. p. 250 sq. et doctr. christ. L. III. Cap. 6. (*de Judaeorum servitute sub signis utilibus*) disseruit.

8) Vid. Catech. Racov. qst. 354., et quae Oeder ad h. l. et Joh. Gerhard in loc. theol. ed. Cott. T. XX. p. 330 sqq. ex Fausti Socini et Schmalzii libris congessernnt.

9) Quod praesertim Thomas Morganius fecit (vid. Lechler, Gesch. des engl. Deismus p. 376.) — Deistarum sententiam postea secutus est Kant, qui eadem ratione ductus Mosaicam civitatem omnino omni religionis fundamento carere censebat. Vid. Relig. innerh. d. Grenzen der bl. Vern. (ed. 1793) p. 178: „*Da ohne Glauben an ein künftiges Leben gar keine Religion gedacht werden kann, so enthält das Judenthum als ein solches in seiner Reinigkeit genommen gar keinen Religionsglauben.*"

10) Cf. e. g. Calvini inst. rel. chr. II, 10., ubi acerrime invehitur in *nebulonem Servetum et furiosos nonnullos ex Anabaptistarum secta*, quos non aliter de Israëlitico populo sentire dicit, *quam de aliquo porcorum grege, utpote quem nugentur a Domino in hac terra saginatum citra spem ullam coelestis immortalitatis.* — Joh. Gerhard loc. theol. T. XX. p. 298 sq. et 330 sq., Oeder ad Catech. Racov. p. 582 sq.

11) Coccejus docuerat, in patriarchis quidem aeternae vitae spem fuisse (cf. summ. theol. XCV, 2. opp. T. VI. p. 326.), sed lege Mosis vera et permanentia bona Israëlitis non esse collata; concesserat tamen, terrenae haereditatis promissionem illis in pignus aeternae fuisse factam,

cuit Warburtonius, quum ex eo ipso, quod lex Mosaica vitae futurae promissione careret, divinam ejus auctoritatem probare conaretur [12]).

Etiam recentiores, qui hanc quaestionem tractaverunt, diversas tuentur sententias. Paucos tamen credo sectatores habere Menkenium, a quo acriter defenditur, spem vitae aeternae sub Vet. Testamento fuisse patefactam [13]). Plures sunt, qui etiamnunc censeant, in aperta quidem Vet. Testamenti disciplina spem vitae aeternae non expressam, sed adumbratam et involucris quibusdam tectam fuisse; verum ab iis, quae multitudini promulgata fuissent, diligenter discernenda esse illa, quae Dei ministri et interpretes ipsi, praesertim Moses, de rebus post mortem futuris sensissent [14]). Ii ipsi tamen in duas partes discedunt. Etenim

---

(l. c. LVI, 13. p. 199 et al.). Nihilominus adversarii, eum in Socinianorum castra transfugisse criminabantur. — Cocceji sententiam corrigere vel cautius exprimere tentat Witsius (Oec. foed. p. 774 sq. coll. p. 261 sq.), ipse tamen fatens, etiam hac in re Veteris et Novi Testamentis oeconomias claritatis suae gradibus plurimum inter se differre, (l. c. p. 264. VII.).

12) Warburton, *the divine legation of Moses demonstrated on the principles of a religious Deist, from the omission of a future state of rewards and punishments in the Jewish dispensation.* 1738—41. — Warburtonii sententiam exposuerunt Lechler l. c. p. 391 sqq., Hengstenberg Beitr. z. Einl. ins A. T. T. III. p. 561 sq.

13) In commentatione *Von dem Glauben und der Lehre des ewigen Lebens im A. T.*, quae annexa est libro *Versuch einer Anleitung zum Unterricht in den Wahrheiten der heil. Schrift.* ed. 3. p. 217 sq.

14) Ne Kantius quidem dubitavit statuere, Mosem consulto de animorum immortalitate tacuisse. l. c. „*Dieser Glaube drängt sich kraft der allgemeinen moralischen Anlage in der menschlichen Natur Jedermann von selbst auf. Es ist also gewiss absichtlich geschehen, dass der Gesetzgeber dieses Volkes, ob er gleich als Gott selbst vorgestellt wird, doch nicht die mindeste Rücksicht auf das künftige Leben habe nehmen wollen.*“ — Eodem redeunt, quae Hengstenberg Beitr. T. III. p. 574 sq. disseruit; cf. ejusdem operis T. I. p. 155. „*Es ist zweifelhaft, ob Moses selbst die Einsicht in Manches besass, dessen Promulgation für die damalige Offenbarungsstufe noch nicht angemessen war, was sich allerdings bei einigen bedeutenden Punkten, wie z. B. bei der Lehre vom Satan und von der Unsterblichkeit, die Moses beide kannte und andeutete, aber verhüllte, nachweisen lässt.*“ (Multo rec-

ab iis, qui Mosem vel suapte intelligentia animorum immortalitatem cognovisse, vel ex Aegyptiorum mysteriis eam didicisse suspicantur, distinguendi sunt alii, qui sublimiorem quandam de rebus post mortem futuris sententiam traditam fuisse existimant in disciplina arcani, quam inde a patriarchis per Veteris Testamenti aetates propagatam faciunt [15]). Ex contrario nonnulli a veterum theologorum sententia eo declinaverunt, ut etiam nudam animorum immortalitatem a veteribus Israëlitis creditam esse negarent, et quae in Vet. Testamento aliam viderentur sententiam prodere, ex peregrinis religionibus depromta esse opinarentur.

Equidem arbitror, quaestionem nostram a multis non satis libero judicio esse tractatam. Ii certe, qni pro divina Vet. Testamenti auctoritate pugnant, non raro in eo errare videntur, quod, quum rectissime teneant, Vetus et Novum Testamentum indissolubili vinculo conjuncta esse, id, quo inter se dissident, non ita agnoscere velint. Quocirca si quis, quae Evangelii luce patefacta et illustrata sunt, jam a Veteris Testamenti scriptoribus explorate percepta et cognita fuisse negaverit, illi sacris scriptoribus et ipsi Veteri Testamento auctoritatis aliquid derogatum putant.

Sed ut res humanae paulatim adolescunt et ab exiguis primordiis per gradus ad perfectionem evadere solent: ita regnum divinum, ubi in res humanas intravit, eadem se lege astrinxit et gradatim homines ad perfectam atque omnibus numeris absolutam rerum divinarum cognitionem evexit. Quare diligenter cavendum est, ne sublato graduum discrimine, quae in Novum Testamentum cadunt, jam Veteri tribuamus, neve divinationem et

---

tius Hengstenberg de immortalitatis scientia, quae sub Vet. Testamento piis tributa fuerit, nuper in Comment. ad Ps. 90 et al. judicavit.) Aliorum similes sententias recensuit H. A. Hahn in dissert. *de spe immortalitatis sub Vet. Test. gradatim exculta.* Vratislav. 1845. p. 20.

15) De illa arcani disciplina cf. J. F. v. Meyer, christl. Glaubenslehre p. 37 et al. — Stier in Ps. 90. (Comm. T. II. p. 27) ait: „*Der Glaube an eine Fortdauer der Seele nach dem Tode war allgemeiner Volksglaube bei dem hebr. Volke* etc. *Aber die frommen Erzväter und alle, die von ihnen die heilige Geheimlehre (nur den Unfähigen geheim, jedem Suchenden alsbald sich öffnend) erbten, wussten noch mehr, und auch für diese redet hier Moses, wie er für die Menge seinem Wort einen Vorhang der gewöhnlichsten Wahrheit giebt.*“

praesagitionem pro ipsa habeamus absoluta veri scientia. Immo vero, si ea est, quam Novum Testamentum statuit, Veteris ratio, facile nobis persuadebimus, omnium quidem, quae in Novo divinitus patefacta sunt, quasi semina Vet. Testamentum in se continere, sed eodem omnino nihil doctrinae exhiberi, quod undique perfectum sit atque omnibus numeris expletum [16].

Monendum est insuper, id quod ad hanc quaestionem praecipue pertinet, in regni divini perpetuitate opera Dei et scientiam divinitus patefactam ita uno societatis vinculo contineri, ut utrorumque continuata cognatio et quasi concordia existat, nec ulla doctrina a re, per quam comprobatur, avulsa per se constare possit, nec quidquam, quod Deus in regno suo peracturus est, quamvis praemonstratum (Am. 3, 7.), dilucide ante rem ipsam peractam intelligatur. Ex quo perspicuum est, eam, quae omnes in se haberet veritatis numeros, coelestis et aeternae vitae cognitionem tum demum mortalibus impertiri potuisse, ubi is ipse, qui vitae aeternae non testis solum, sed fons et auctor exstitit, opere suo in terris peracto ad coelestes sedes iter aperuit (Hebr. 10, 20. coll. 9, 8. 2 Tim. 1, 10. etc.) [17]. — Paucos vero Dei ministros et praesertim Mosem rerum divinarum scientiam esse consecutos perfectiorem ea, quae omnino in Vet. Testamentum quadraret, probari nullo modo potest. Levissimi momenti sunt, quae ex prudentia et pietate Mosis repetuntur argumenta [18];

---

16) Vid., quae in libro *Prolegomena zur Theol. des A. T.* accuratius de hac re disputavi.

17) In quibus maxima Novi Veterisque Testamenti differentia vertitur, sunt, ut Delitzschii (die biblisch-prophet. Theologie p. 266) verbis utar, „*alle die Heilserweise, deren Realität die Menschwerdung des Sohnes Gottes voraussetzt.*“ — Veteres Dogmatici contra Socinianos potissimum afferebant Christi dictum Joh. 5, 39: „*ἐρευνᾶτε τὰς γραφάς, ὅτι ὑμεῖς δοκεῖτε ἐν αὐταῖς ζωὴν αἰώνιον ἔχειν, καὶ ἐκεῖναί εἰσιν αἱ μαρτυροῦσαι περὶ ἐμοῦ*“; et recte quidem (cf. Gerhard l. c. p. 330) hoc tenebant, verbo *δοκεῖν* hic non *inanem ac falsam quandam opinionem* significari, sed *sententiam*, quam Jesus ipse confirmet. Iidem vero non videbant, Vetus Testamentum hoc loco non per se ipsum vitae aeternae fontem dici, sed eo tantum, quod ad Christum vitae aeternae auctorem animos dirigere possit. Quamobrem Jesus pergit: „*καὶ οὐ θέλετε ἐλθεῖν πρός με, ἵνα ζωὴν ἔχητε.*“

18) Süskind „*Hatte Moses Glauben an Unsterblichkeit?*“ in Ullm. Stud. 1830. p. 884 sqq.

proinde quasi prudentia et pietas per se sufficiant, ut aliquis arcana coelestia scrutetur et de rebus futuris comperti aliquid habeat, nec ipse Plato de animorum immortalitate disserens (Phaed. C. 35 fin.) *λόγον θεῖόν τινα* desideraverit, ut *βεβαιότερον ὄχημα*, in quo quis meliori confidentia, quam quae ex humanis argumentationibus oriretur, per vitam proficisci posset. — Qui autem ex arcana quadam disciplina Israëlitarum patres sublimiorem aeternae vitae cognitionem hausisse arbitrantur, quibus argumentis hanc sententiam defendent? Certe in ipso Vet. Testamento arcanae disciplinae nulla omnino vestigia occurrunt; ea vero, qua posteriores Judaei gloriabantur, recondita sapientia non ex Israëliticae antiquitatis fontibus manavit, sed demum, postquam et peregrinarum Asiaticarum religionum et Graecae philosophiae rivuli in Judaeorum theologiam influxerunt, paulatim prodiit. Tum vero, ut et augustiorem facerent Mosaicam disciplinam, eamque semotis omnibus, quae mentem offendere possent, ethnicis commendarent [19]), et sua dogmata a Vet. Testamento discrepantia illius sancta auctoritate fulcirent [20]), recentem doctrinam nil esse perhibuerunt, nisi arcanam sapientiam jam veteribus cognitam et allegoricae interpretationis auxilio ex Vet. Testamenti scriptis eruendam [21]). — Sed utcumque illa existimata erunt, certe hoc

---

19) Hoc e. c. sibi volunt illa, quibus Philo frequentissime utitur, vocabula ex Graecorum mysteriorum disciplina depromta. Vult enim ethnicos intelligere, etiam Judaeos suam habuisse arcanam disciplinam, Graecorum mysteriis non aequiparandam solum, sed longe anteferendam.

20) Cf. Daehne, geschichtl. Darst. der jüd. alex. Rel. phil. T. I. p. 84 sq. — Eadem haud dubie fuit causa, cur tres Judaeorum sectae pro antiquissimis haberi voluerint (Jos. Ant. XVIII, 1. 2.), cur Philo Essaeorum sodalitatis auctorem ipsum Mosem perhibeat (fragm. apol. Jud. ap. Euseb. praep. ev. VIII, 11. ed. Col. p. 379. — Phil. opp. ed. Mang. T. II. p. 632.). Sic orta est illa opinio, duas ab initio fuisse diversas gentis Israëliticae partes, quam Eusebius (l. c. VIII, 10. p. 378) ita exponit: „*τὸ πᾶν Ἰȣδαίων ἔθνος εἰς δύο τμήματα διῄρηται· καὶ τὴν μὲν πληθὺν ταῖς τῶν νόμων κατὰ τὴν ῥητὴν διάνοιαν παρηγγελμέναις ὑποθήκαις ὑπῆγε* (sc. Moses), *τὸ δὲ ἕτερον τῶν ἐν ἕξει τάγμα ταύτης μὲν ἠφίει, θειοτέρᾳ δέ τινι καὶ τȣ̀ς πολλȣ̀ς ἐπαναβεβηκυίᾳ προσέχειν ἠξίȣ, θεωρίᾳ τε τῶν ἐν τοῖς νόμοις κατὰ διάνοιαν σημαινομένων. Ἦν δὲ τȣ̃το φιλοσόφων Ἰȣδαίων γένος, ὧν τὴν τȣ̃ βίȣ ἄσκησιν καὶ τῶν ἔξωθεν ἐξεπλάγησαν μυρίοι.*“

21) Ceterum Philo, quod sciam, nunquam perspicue indicat, reconditam illam sapientiam inde a Mose quasi per manus traditam ad

monendum erit. Qui sanctos Vet. Testamenti viros arcana quadam disciplina initiatos faciunt, omnino videant, ne iis, quorum auctoritatem amplificare volunt, malae simulationis notam inurant. Quales enim eos haberi oportet, qui, quum in flebiles questus de hominis vanitate sese effundunt et sortis post mortem futurae tristitiam deplorant, id non ex animo sed simulate faciunt, et aeternae vitae spem, qua laetantur, ne forte in vulgus efferatur, caute dissimulant! [22])

Ut autem iis, qui Veteri Testamento nimium tribuere videntur, assentiri non possumus, ita rursus non minus cavendum est, ne, quod aliis accidit, oculos occludamus prae iis, quibus Vetus Testamentum animos piorum ad vitae aeternae praesagitionem excitavit, et ad accipiendam perfectam rerum post mortem futurarum scientiam mentem praeparavit. Ii maxime, qui, quidquid sublimioris scientiae Vet. Testamentum exhibet, ex ethnicorum religionibus manavisse opinantur, neque viderunt, quam

---

ipsum pervenisse, quamquam saepissime contendit, se ab aliis (*φυσικοῖς ἀνδράσι de Abr.* § 20., *θεσπεσίοις ἀνδράσι de circumcis.* § 2.) accepta tradere, nec doctorem sed interpretem esse (*de animal.* ex vers. Aucher. § 7.). Verum aliis locis docet, se quasdam reconditae sapientiae partes afflatu divino cognovisse (cf. Daehne l. c. p. 75 sq.); et quae in libro de Cherub. § 14 dicit („*ἐγὼ παρὰ Μωϋσεῖ τῷ θεοφιλεῖ μυηθεὶς τὰ μεγάλα μυστήρια, ὅμως αὖθις Ἱερεμίαν τὸν προφήτην ἰδὼν, καὶ γνὺς ὅτι ὐ μόνον μύστης ἐστὶν, ἀλλὰ καὶ ἱεροφάντης ἱκανὸς, ὐκ ὤκνησα φοιτῆσαι πρὸς αὐτόν*"), nil aliud significare possunt, nisi, se ejusdem spiritus, qui Mosem illuminaverit, afflatu Vet. Testamenti mysteriis initiatum esse.

22) Etiam iis, quae Stier in comment. ad Ps. 88, 10 sqq. (T. II. p. 231.) exposuit, haec difficultas non tollitur. Ait enim: „*Ist nichl ein Unterschied zwischen den Glaubenszeiten und Angstzeiten in der menschlichen Seele, noch bis auf den heutigen Tag? Wie mancher wahre Christ fürchtet sich noch vor dem Sterben und bittet zaghaft dawider, obgleich ihm durch das Evangelium nun vollständig Leben und Unvergänglichkeit ans Licht gebracht worden! Will man etwa aus seinen Worten in der bangen Stunde seine ganze dogmatische Ueberzeugung construiren?*" etc. Recte quidem; verumtamen persuasum habeo, qui vitam coelestem cognitam habeat, eum, etiamsi angore depressus interdum hoc solatium toto animo amplecti non valeat, nunquam ita locuturum esse, ut in Ps. 88, 10 sqq. similibusque locis scriptum est. Hic enim non ejus sermo est, qui de re prius cognita dubitet, sed ejus, cui cognitio, quam anxie desiderat, denegata sit. (Multo meliora reliqua sunt, quae Stier l. c. exposuit).

concinne omnes partes disciplinae Vet. Testamenti inter se cohaereant et quam apte eadem ab inferioribus ad superiores scientiae gradus progrediatur, neque hoc consideraverunt, ubi religiones toto genere dispares sint, ea quoque, quae in iisdem sententiis et verbis versentur, summas habere dissimilitudines.

Quid ipse mihi proposuerim, jam paucis significabo. — Primum eam, quae Mosaismi propria censenda est, de rebus post mortem futuris sententiam exponam, ita quidem, ut, qua ratione eadem cum aliis Vet. Testamenti doctrinae partibus connexa sit, perspicuum fiat. Quam ob causam quasi fundamenti loco ponenda erunt ea, quae de hominis natura et de morte mortisque causis Vetus Testamentum statuit: quos tamen locos eatenus tantum percurram, quatenus quaestionem propositam praeparant atque adjuvant. — Deinde in altera ac tertia hujus libri parte explicabo, qua ratione sub ipso Vet. Testamento partim vaticinationibus prophetarum, mortuos in vitam redituros esse praedicentium, partim iis, quae mens Hebraeorum haud sine divino afflatu de vita aeterna suspicata est et praesensit, quasi via munita sit ad fixam ratamque, quam Novo Testamento debemus, vitae aeternae ac beatae piorum immortalitatis cognitionem.

Ex his facile intelligitur, quam alio libro[23]) exposui, tripartitam theologiae Veteris Testamenti divisionem me ad hanc quoque disputationem transtulisse. Ne vero nimis distrahantur, quae argumenti cognatione sunt conjuncta, in prima tractationis parte non ea tantum exponam, quae in Pentateuchi libris ad quaestionem nostram pertinent, sed etiam ceterorum Vet. Testamenti librorum, quatenus eorum sententia Mosaismum non superat, sed illustrat, rationem sum habiturus.

23) Vid. Prolegomena z. Theol. des A. T. § 16. — Distribuo Theologiam Vet. Testamenti in tres partes, Mosaismum, Prophetismum, Hebraismum.

I.

A.

Quae ex Vet. Testamenti doctrina de homine huc pertinent, haec fere sunt [24]).

1) Ex duobus principiis omnium animantium, et hominum et bestiarum natura coorta est, ex divino scilicet spiritu vitali et ex terrena materia. Ubi spiritus ille in mundo prodiit, animantia oriuntur, ejusdem vi quovis temporis puncto sustinentur, idem ubi recessit, exanimata corporum compages dissolvitur et cadavera in pulverem redeunt. Vid. Ps. 104, 30 sq. 146, 4. Job. 34, 13 sq. et al. — Ex his locis perspicuum fit, נפש nil aliud esse nisi inclusam in corpore spiritus divini, ut ita dicam, particulam [25]). Ne tamen eam sententiam ad Emanatismi vel Pantheismi, quos dicunt, opiniones revoces, prohibetur quum universa Vet. Testamenti doctrina de ratione inter Deum et mundum intercedenti, tum locis Sach. 12, 1. (יצר רוח אדם בקרבו), Jes. 42, 5. Job. 33, 4. et similibus. Deus enim non necessitate quadam ductus, sed libero actu de spiritu suo communicat, et animantia ita creat ac sustentat, ut suam propriam, ab ea, quam ipse vivit, distinctam vitam habeant. Quamobrem spiritus Dei, quo homines et bestiae animantur, recte etiam ipsorum hominum et bestiarum spiritus dicitur (Ps. 104, 29 coll. 30., Job. 27, 3. 12, 10. et al.) [26]).

---

24) Accurate hanc quaestionem tractavit J. T. Beck in egregio libro *Umriss der bibl. Seelenlehre* 1834. — Insuper conferendus est Hofmanni liber *Weissagung u. Erfüllung* t. 1. p. 17 sqq. Contra utrumque disputavit Delitzsch, *die bibl. prophet. Theologie* 1845. p. 187 sqq.

25) Nullo modo assentiri possum iis, qui (cf. e. g. J. F. Meyer, *christl. Glaubensl.* p. 134) Gen. 2, 7. similesque locos ita interpretantur, ut spiritum divinum non ipsius animae substantiam, sed animae ante creatae additum esse dicant (quam sententiam jam Augustinus Civ. D. XIII, 24. confutavit).

26) Miror Delitzschii sententiam l. c. p. 189: „*Gewiss ist es, dass die Schrift nichts weiss von einem Eingehen des Geistes*

2) **Quamquam vero unus idemque spiritus divinus est, ex quo omne, quod vivit, vitam trahit, alia tamen ratione in hominibus, alia in bestiis prodit et efficax est. Nam bestiae principio ex aqua et terra sunt generatae (Gen. 1, 20. 24. 2, 19) ea vi, qua spiritus divinus, quemadmodum initio vitam gignens rudi indigestaeque moli incubuit (Gen. 1, 2), sic perpetuo vitam renovans universum mundum penetrat (Ps. 104, 30): homo autem, corpore ex terra formato, animum singulari divini spiritus inflatu accepit (Gen. 2, 7)[27] et eo consilio creatus est, ut Dei effigies et imago existeret[28]).**

Gottes in den Menschen, durch den die Seele geworden ist, soneern nur von einem dem Menschen von Gott mitgetheilten Lebensodem, als dem geschöpflichen Lebensprincip." Delitzsch, siquidem recte ejus verba intellexi, censere videtur, spiritum vitalem, qui in animantibus est, non ex eo spiritu, per quem Deus ipse vivit, originem traxisse et quasi libatum esse, sed a Deo recens (sane ex nihilo?) esse creatum. Quae senteutia, quomodo cum Gen. 1, 2. 2, 7. Ps. 104, 30. Job. 27, 3. conveniat, equidem non video.

27) Cf. Cocceji epist. CCXXIII.; Oetinger, *theol. ex idea vitae deducta* 1765. p. 120, 122 sq.; Heyder, *ecclesiastae de immortalitate animi qualis fuerit sententia* 1838. 12. 42. et praesertim I. T. Beck, *christl. Lehrwissenschaft* T. 1. p. 206. — Praecipuum argumentum, spiritus vim, qua homo vivit, celsiorem et praestantiorem ea esse, quae in ceteris animantibus fusa est, ex voce נְשָׁמָה repetendum foret, si probari posset, quod Beck (bibl. Seelenl. p. 9) probare conatur, eam in Vet. Testamento nunquam non de spiritu hominis usurpari. Sed res admodum dubia est. In Gen. 7, 22. tantummodo de hominibus agi, equidem persoadere mihi vix possum. In Deut. 20, 16. fortasse dubitari potest, utrum כָּל־נְשָׁמָה ad omnia animantia, an solum ad homines referendum sit; sed priori interpretationi et proximae sententiae v. 14. (cui, quae v. 16. jubentur, opposita sunt) ratio favet, et locus Jos. 6, 21., ubi expugnata Hicrichunte omnia animantia deleta esse narrantur. Demum postquam Deus Jos. 8, 2. bestias de communi internecione excepit, exinde (ut jam primo belli initio factum erat Deut. 2, 34 sq. 3, 6.) iis parcitur Jos. 8, 25. 27. Hinc apparet, cur Jos. 11, 11. 14. כָּל־נְשָׁמָה solum ad homines referendum sit; sed eodem loco pro כָּל־נְשָׁמָה etiam כָּל־נֶפֶשׁ ponitur, unde nemo sane colliget, נֶפֶשׁ hominibus tantum tribui.

28) Cf. praecipue Steudel, Theol. des A. T. p. 82 sq.

3) Ex hac singulari, quae homini cum Deo est, communitate et necessitudine sequitur, ut humanae נֶפֶשׁ singularis quaedam sit natura atque vis, super bestiarum נֶפֶשׁ longe excellens. — Quod quum nonnulli infitientur[29]), res accuratius est explicanda.

a) נֶפֶשׁ anima est, quae ex sede sua, quam in extis (קֶרֶב) habet (cf. praecipue 1 Reg. 17, 21), per sanguinem corpori vitam impertit. Eatenus dicitur נֶפֶשׁ הַבָּשָׂר Lev. 17, 11[30]). Repetuntur ex ea, quaecunque homo corporis viribus agit et per corporis sensus percipit; ad eam pertinent omnia, quibus aut commotio jucunditatis in corpore, aut dolor, nausea ceterique asperi corporis motus excitantur. (Vid., ne in re notissima longus fiam, quae Gesenius in thes. s. v. נֶפֶשׁ p. 901 congessit; locos

---

29) E. g. Saalschütz, *die Unsterblichkeitslehre der Hebräer* (in Illgenii Zeitschr. f. hist. Theol. Neue Folge T. I, 3. p. 28).: „*Zunächst bemerken wir im Allgemeinen*, *dass* נֶפֶשׁ *seiner Grundbedeutung nach nur das thierische Leben bezeichnet*, *welches also mit dem Blute aus dem thierischen Leibe schwindet. Nie wird* נֶפֶשׁ *als Geistiges dem Körper als solchem entgegengesetzt.*“ — Ib. p. 30. „נֶפֶשׁ *heisst die sinnliche*, *von dem Aeussern (!) abhängige Lebenskraft des Menschen. Sie schwindet mit dem Blute hin*, *das dem Menschen entströmt. Hiemit hängt nun sehr wohl zusammen*, *wenn das Wort auch für einzelne sinnliche Affecte*, *wie Hunger*, *Durst und dergl.*, *für Begierde, Leidenschaft, im Allgemeinen für Zustände und Stimmungen* (2. Mos. 23, 9) *gesetzt wird*, *die von äussern Verhältnissen zunächst abhängen.*“ — Qua in sententia quomodo vera atque falsa mixta sint, ex iis, quae jam exponentur, facile intelligetur. — Etiam Heyder in iis, quae l. c. p. 45. de discrimine inter נֶפֶשׁ et רוּחַ intercedenti disseruit, errorem non evitavit.

30) „*Carnis anima in sanguine est.*“ Quibus verbis non hoc significatur, quod multi opinati sunt, nullam esse τῆς נֶפֶשׁ vitam, nisi quam in sanguine habeat, sed corporis ullam vitam esse negatur, nisi quam per sanguinem נֶפֶשׁ cum eo communicaverit. Hinc metonymice dicere licet, ipsum sanguinem carnis animam esse (Gen. 9, 4. Lev. 17, 14. Deut. 12, 23), et cum sanguine effuso profundi animam (הֶעֱרָה נֶפֶשׁ). Simili metonymia, quia per lacrymas animi motus produntur, Ps. 119, 28 dicitur: דָּלְפָה נַפְשִׁי.

a Gesenio collectos facile auxeris). — His vero, quae homini communia sunt cum bestiis, omnis vita τῆς נֶפֶשׁ non continetur, sed

b) נֶפֶשׁ simul animus est, rationis et cogitationis particeps (cf. locutiones בְּכָל־נַפְשׁ vel בְּנֶפֶשׁ חֲפֵצָה aliquid facere, אִם יֵשׁ אֶת־נַפְשְׁךָ et al.), amoris, desiderii contrariorumque affectuum compos (vid. Gesenii thes. l. c.). Illa est, quae pro divina ipsius origine divina appetere, Deo gaudere, Deo confidere, Deum laudare, pietatem et sanctimoniam colere potest (Deut. 4, 29. 6, 5. Jes. 61, 10. Ps. 19, 8. 42, 2. 3. 43, 5. 57, 2. 84, 3. 103, 1. 2. 119, 20. 81. 129. 167 et al.). — Ceterum etiam quaecunque ad animum ac mentem pertinent, aegritudo, ira, laetitia et qui alii sunt animi affectus, aeque ac cogitatio, consilium et voluntas ab Hebraeis locantur in extis et imprimis in corde, interiorum corporis (קֶרֶב) parte intima (cf. Ps. 39, 4. 55, 5), unde quasi fonte omnes vitae rivuli exeunt (Prov. 4, 23). Quocirca quidquid animus agit vel patitur, etiam ad cor transfertur. Cor amore et odio, gaudio et tristitia commovetur, illud sentit, intelligit, decernit etc. (vid. Gesen. thes. s. v. לֵב p. 739). — Quamvis autem לֵב et נֶפֶשׁ nonnunquam promiscue usurpari videantur (cf. בְּכָל־נֶפֶשׁ et בְּכָל־לֵבָב, שָׁפַךְ נַפְשׁוֹ et שָׁפַךְ לִבּוֹ atque al.), facile tamen utriusque vocabuli differentiam quandam cognoveris. Etenim ad נֶפֶשׁ singulae tantum animi actiones et singulae commotiones referri solent; omnia autem, in quibus habitus animi ac mentis consistit, plerumque repetuntur ex corde, quippe quod quasi vas sit et receptaculum eorum, quae in animo ac mente inhaeserunt. (Hinc dicitur יֵצֶר לֵב nec יֵצֶר נֶפֶשׁ etc., לֵב נֶאֱמָן, חָכָם, טָהוֹר, עִקֵּשׁ nec unquam נֶפֶשׁ נֶאֱמָנָה, חֲכָמָה etc.). — Veruntamen, id quod ad nostram quaestionem gravissimum est,

c) in τῇ נֶפֶשׁ hominis persona sita est. — Quod perspicuum fiet, ubi

4) consideraverimus, qua ratione spiritus et נֶפֶשׁ et corpus inter se contineantur.

a) Quoniam נֶפֶשׁ, ut ante (s. 1) exposuimus, ex spiritu orta et quasi decerpta est, ipsius natura spirabilis est, et ipsa nonnunquam רוּחַ vel rarius נְשָׁמָה dicitur [31]). Noli tamen putare, voces נֶפֶשׁ et רוּחַ unquam plane idem significare; sed et ubi nonnullis promiscue usurpari videntur [32]), hoc inter ea interest, quod Roos (in fundam. Psychol. ex sacra script. etc. p. 35 sq.) bene ita expressit: *ubi* רוּחַ *dicitur, anima et corpus distincte consideratur*, נֶפֶשׁ *vero animam humanam, quatenus cum corpore unam personam constituit vel constituerat, repraesentat.*" Vel, ut aliis verbis rem exponam, רוּחַ hominis anima dicitur ex substantia sua, quae quamvis corporis vitae fons sit, ipsa tamen a terrena corporis materia est sejuncta, נֶפֶשׁ dicitur ex vita, quam habet vel habuerat in corpore et cum corpore conjuncta, רוּחַ omnino in animanti id est, ex quo et per quod vivit, נֶפֶשׁ est animans ipsum, quod vivit. — Jam intelliges, quid sibi velit sententia supra proposita, personam hominis in τῇ נֶפֶשׁ sitam esse. Causa quidem, cur homo sui conscius sit, ex spiritu est repetenda, qui ut omnis scientiae fons (Job. 32, 8), ita „*lucerna est a domino accensa, scrutans omnia penetralia corporis*" (Prov. 20, 27). Sed illud ipsum in homine, quod semet novit, quod dicimus, si ad hominem ipsum aliquid volumus referre, נֶפֶשׁ est. Vel, homo ut ex spiritu et per spiritum omnino vivit, ita per eundem agit, cogitat, intelligit etc.; sed homo ipse, qui agit, cogitat, cui facinorum sive culpa sive meritum assignatur, qui se aliquo modo affectum sentit, נֶפֶשׁ est [33]).

---

31) Etiam num. plur. animae ex substantia sua dicuntur רוּחוֹת Num. 16, 22., נְשָׁמוֹת Jes. 57, 16.

32) Cf. e. g. Baumgarten-Crusius bibl. Theol. pag. 322. „*Einen Unterschied zwischen* נֶפֶשׁ *und* רוּחַ *möchten wir wenigstens im hebräischen Alterthum nicht annehmen.*" — Tum vero satis inepte addit: „*Seele bedeutet wohl mehr die Substanz, Geist die Wirksamkeit.*"

33) Res plurimis locis potest comprobari. Sed brevitatis causa lectorem ad ea rejicio, quae Beck (bibl. Seelenl. § 1 seq. et § 12 seq.)

b) Rursus autem Vet. Testamentum נֶפֶשׁ hominis a spiritu aliqua ratione secernit, nec tantum a spiritu sancto, qui ut singulare Dei donum singulis hominibus tribuitur, sed ab ipso spiritu vitali, ex quo נֶפֶשׁ perpetuo vitae incrementa trahit, et cujus vi corpori conjuncta servatur. Perpende enim, quomodo inter se differant וַתָּשָׁב רוּחוֹ 1 Sam. 30, 12. coll. Jud. 15, 19. et וַתָּשָׁב נֶפֶשׁ 1 Reg. 17, 22; וַתְּחִי רוּחַ Gen., 45 27. et חָיְתָה נַפְשְׁךָ Jer. 38, 17. 20; perpende, cur Jobus (17, 1) vi vitali paene exhausta dixerit רוּחִי חֻבָּלָה nec נפשׁי חבלה, cur de femina obstupefacta, 1 Reg. 10, 5 dictum sit לֹא הָיָה בָהּ עוֹד רוּחַ nec לא היה בה עוד נפש etc. Ex his aliisque similibus, quae facile reperies, intelligitur, aliud esse נֶפֶשׁ, in qua hominis persona sita est, aliud רוּחַ, ex quo anima, dum in corpore vivit, vim et vigorem haurit. Tametsi spiritus, qui animae robur suppeditat, recessit, נֶפֶשׁ tamen hominis et ipse homo manet. Utique נֶפֶשׁ solitaria et a spiritu sustentanti destituta debilis est et languida, sed est tamen, nec plane desinit vivere. — Duplex autem ratio est, quae τῇ נֶפֶשׁ cum spiritu intercedere potest. Aut enim vitae incrementa ex spiritu hauriens ipsa valet et corroboratur, aut arcens spiritum et vim ejus prohibens debilitatur et languescit. Quod peccato fit, ut paulo post videbimus [34]).

---

de ea re disseruit. Cf. praeterea Hofmann (Weissagung und Erfüllung t. 1. p. 18): „*Sogar Jehova spricht* בְּחִירִי רָצְתָה נַפְשִׁי Jes. 42, 1. *Von seinem Geiste würde er nicht sagen, dass derselbe Gefallen trage, wohl aber dass er diesen treibend regiere;* חַי נַפְשִׁי schwört man, nicht חַי רוּחִי" etc. — Inde patet, cur נֶפֶשׁ saepissime personam significet (Gen. 12, 5. 36, 6. et al.), et cur pronomina personalia in sermone Vet. Testamenti per נַפְשִׁי, נַפְשְׁךָ etc., nec per רוּחִי etc. exprimantur. (Aliter se res habet in lingua Arabica: cf. Koseg. chrest. p. 12. نَطَقَتْ اِلَىَّ رُوحِى). — Vid. insuper, quae statim sub *b.* afferentur.

34) Perbene hanc rem explicavit Beck, bibl. Seelenl. p. 33 seq.

c) Animam, quatenus ex spiritu sustentanti vitae incrementa non haurit, sed per se in corpore debilem et languidam vitam trahit, Vet. Testamentum cum corpore voce בָּשָׂר complectitur (Gen. 6, 3); quare caro saepius ut debilis et caduca valenti spiritui opponitur (vid. Gesen. Thes. s. v. בָּשָׂר p. 249). — Nihilominus etiam a corpore, in quo vivit et per quod ut instrumentum vim suam exercet, נֶפֶשׁ distinguitur, quod patet ex Jes. 10, 18. (ubi strictior vocis בָּשָׂר significatio est) coll. Job. 14, 22., Ps. 31, 10. (נַפְשִׁי וּבִטְנִי), 1 Reg. 17, 21. Gen. 35, 18. et al.

Ut paucis rem absolvam, נֶפֶשׁ est aliquod tertium et a spiritu vitali, quo sustentatur et corroboratur, et a corpore, in quo vivit, distinguendum. Hinc fieri potest, ut, quum spiritu vitali plane absumto vinculum, quod illam cum corpore conjunctam servat, dissolvitur, ipsa נֶפֶשׁ et a corpore et a spiritu separata, eoque ipse homo remanere possit. Quam apte cum hac sententia de anima ea cohaereant, quae Vet. Testamentum de sorte hominis post mortem futura statuit, paulo post videbimus [35].

Ab iis, quae Vet. Testameutum de hominis natura statuit, discrepat posteriorum Judaeorum theologorum, quos Cabbalistas vocant, sententia. Distinguunt enim in hominis natura נשמה, נפש et רוח. נפש anima est, per quam corpus vivit, רוח animus, liberi arbitrii compos, eoque boni malive sedes; נשמה denique id appellant, per quod homo vitae divinae particeps fiat (Cf. Eisenmenger, entdecktes Judenthum T. 1. p. 887 sq. Franck, die Kabbala etc., übers. von Gelinek p. 167 sq.). Quae, quum ad illustrandam Vet. Testamenti doctrinam nihil fere faciant, pluribus hoc loco non exponam.

---

coll. p. 9. Id tantum doleo, quod Novi et Veteris Testamenti doctrinam non distinxit.

35) Miror, Delitzschium l. c. p. 188. judicavisse, ex Beckii sententia opiniones de statu mortuorum fluere intellectu difficillimas. Equidem sic statuo, sine illa sententia Vet. Testamenti doctrinam de rebus post mortem futuris omnino intelligi non posse.

Magis vero cum iis, quae hucusque exposuimus, conferre expediet Homeri de hominis natura sententiam. Quae quum ex parte aliqua cum Vet. Testamento mirum in modum congruat, tamen in iis, quae de anima hominis statuit, ita discrepat, ut cognita ea discrepantia Veteris Testamenti sententia de anima non possit non facilius perspici. Sequimur hac in quaestione Naegelsbachium, qui in libro, quem de theologia Homerica conscripsit, (p. 331 sq.) Homeri de homine doctrinam ita illustravit, ut perfectius aliquid hac de re proferre vix quisquam possit.

Homerus tres hominis partes distinguit, *σῶμα*, in quo *φρένες* primarium tenent locum, *ψυχὴν* et *θυμόν*. — *Ψυχὴ* nil est nisi anima, qua et homines et bestiae vivunt; expers est rationis et consilii, nec ullius omnino facultatis compos, quae ad animum et mentem pertinet. Persona hominis sedem in *ψυχῇ* non habet; immo *ψυχὴ* hominis ab ipso homine distinguitur (Il. 1, 4. 23, 65 sq. et al.). Quare nunquam apud Homerum vocum *ἡ ψυχή μου, σου* etc. eadem vis est, quae Hebraicarum נַפְשִׁי, נַפְשְׁךָ etc.[36]).
— Quae animo ac menti tribuuntur, cogitatio, voluntas, consilium, affectus cujusque generis, ea omnia ab Homero ad *θυμὸν* (qui *μένος*, *νοῦν*, *μῆτιν* et *βουλὴν* in se comprehendit) et *φρένας* ita referuntur, ut, quidquid in illo est et ab illo fit, simul in his exsistat. *Φρένες* enim *θυμοῦ* quasi sedes sunt et receptaculum; quare *θυμὸς* est, a quo agitur, *φρένες* sunt, in quibus et per quas actio fit [37]). — Homerico *θυμῷ* respondent in Vet. Testamento נְשָׁמָה et רוּחַ hominis, *φρεσὶ* vero קֶרֶב, לֵב et רַחֲמִים. Sed Vet. Testamentum, ut supra exposuimus, etiam *τῇ* נֶפֶשׁ, quoniam spiritus vim et naturam in se habet, illa omnia assignat. Dicun-

36) Longe secus se res habet apud posteriores Graecos scriptores. Sed in Vet. Testamento ille vocis נֶפֶשׁ usus veterrimus est; vid. Gen. 12, 13. Lev. 11, 43. Num. 23, 10.

37) Nägelsbach l. c. p. 336. „*Gerade bei der Parallelisirung beider Principien tritt auch ihr Unterschied sehr deutlich hervor.* Die *φρένες* als *etwas Körperliches eignen sich nicht zum Subject einer geistigen Thätigkeit. Diese geht wohl mittelst der φρένες und in denselben vor, aber nur einigemal treten die φρένες oder tritt vielmehr die φρὴν als handelndes Subject auf; dagegen handelt der lebendige θυμὸς äussest häufig selbst.*“

tur ab Homero: *θυμῷ σάφα εἰδέναι* et *εἰδέναι κατὰ φρένας, νοεῖν κατὰ θυμὸν* et *νοεῖν ἐν φρεσί,* nunquam vero *ψυχῇ εἰδέναι* etc. Homericus homo *ἔλπεται* et *γηθεῖ θυμῷ* atque *τέρπεται φρεσί,* sed *ψυχὴ* ejus neque gaudet neque sperat. Longe aliter, quod ante vidimus, נֶפֶשׁ hominis in Vet. Testamento: quod considerent illi, qui נֶפֶשׁ in Vet. Testamento nil nisi animam esse opinantur; discant ex Homero, qualem in Vet. Testamento loquendi usum oporteret regnare, si ipsorum sententia recte se haberet.

Ubi autem secundum Homerum persona hominis sedem habet? Ex iis, quae Naegelsbach p. 333 affert, colligi potest, eam solum in corpore sitam esse. Quacum sententia pugnare videntur, quae Naegelsbach ipse (vid. annot. 37.) de ratione disseruit, qua *θυμὸς* et *φρένες* inter se contineantur. Rectius forsan dixeris, dum homo vivat, personam ejus et in *θυμῷ* et in *φρεσὶν* atque *ἦτορι* (*κραδίῃ*) sitam esse. Quum vero post mortem *θυμὸς* dissipatus est (Naegelsb. p. 339) et *ψυχὴ* ad inferos abiit, in corpore mortuo, cujus *φρένες* restant, ipse homo cernitur. (Naegelsb. p. 336.)[38].

Ex iis, quibus a Vet. Testamento Homeri doctrina de homine differt, necessario sequitur, ut eorundem de rebus post mortem futuris sententiae, quamvis simillimae sint, et ipsae aliqua ex parte discrepent: quod iis, quae post dicenda sunt, confirmabitur.

B.

Proximum est, ut doceamus, quae Veteris Testamenti de morte mortisque causis sententia sit.

1) Ex iis, quae paulo ante exposuimus, perspicuum fit, mortem esse animae et corporis diremtionem, quae spiritu divino vitali absumto efficiatur. Hanc ob causam natura humana per se et ex se neque mortalis neque immortalis dici potest, quum ejus sive mortalitas sive immortalitas prorsus ex spiritu divino pendeat. — Hominis natura ab initio non ita erat comparata, ut non posset mori, sed ita, ut posset non mori, vel, ut accuratius rem

---

38) In locis Il. 1, 4. 23, 65 et al. metonymiam inesse, qualis exstat, ubi Hebraei voce נֶפֶשׁ (= Person) cadaver hominis mortui significant (vid. Gesen. Thes. p. 902), omnibus, quae Naegelsbach l. c. exposuit, diligenter perpensis vix concesseris.

exponam, homo ab initio accepit corpus dissolubile (Gen. 2, 7. 3, 19.), quod morti obnoxium fieri posset, sed eidem potestas data est, ut, si peccati labe intactus mansisset, morte liberaretur. Demum propter peccatum admissum homo revera morti subjectus est. Hoc ex Gen. C. II. et III. intelligitur, cujus loci interpretationem vulgarem et antiquissimam [39]) veram esse persuasum habeo, licet, quae a recentioribus ei opposita sunt [40]), non omni pondere careant. — Quamquam enim illud dictum (Gen. 2, 17.), *homini eo ipso die, quo divinum praeceptum migraverit, moriendum fore*, per se inspectum haud dubie ita explicari potest, ut non mortem omnino, sed repentinam mortem homini denunciet, haec tamen sententia refellitur verbis 3, 22., ex quibus hoc efficitur, homini, antequam propter peccatum ex Paradiso ejectus est, potestatem vitam sempiternam nanciscendi datam fuisse. — Aliqua vero difficultas inde exoritur, quod homo eo ipso die, quo divinum praeceptum migravit, non est mortuus, scriptorem autem Deum alia minitantem alia exsequentem fecisse, nemo facile sibi persuadebit. Quod nonnulli monuerunt, vocabulo יום saepe longius temporis spatium significari, in hunc locum non quadrat. Nam manifestum est, verba ביום etc. nihil aliud sibi velle, nisi poenam peccatum nullo interjecto intervallo subsecuturam esse (cf. 1 Reg. 2, 37). Non minus errare videntur, qui vocem מות hoc loco non de morte, sed de miseria hominis, in qua vita terrestris non amplius vitalis habenda sit, explicandum esse censent [41]). Nec magis licet verba מות תמות

---

39) Vid. Sirac. 25, 24. [32.] cui 17, 1 sq. non repugnat; vid. Steudel Theol. des A. T. p. 107 sq.).

40) Imprimis acute vulgarem hujus loci interpretationem impugnavit Mau, *vom Tode, dem Solde der Sünden etc.* 1841. p. 56—74.

41) Vid. Mau l. c. p. 66 sq. — „*Was der Ref. im Sinne hatte*, war das *Eintreten eines Zustandes, welcher, unbefriedigend und unselig, wie er ist, im Verhältnisse zu der Idee des Menschenlebens — — nicht ein Leben zu heissen würdig ist, sondern die Verneinung und Abwesenheit des Lebens, Tod. In dieser Weise fiel durch den Fall sofort der Mensch dem Tode anheim etc.*“ Sed vocem מות in V. T. hanc vim habuisse, probari non potest. Ii loci, quibus ea translate usurpatur, omnino huc non pertinent. Iis vero locis, quos Mau ex Proverbiis attulit, voce חַיִּים semper bona et animi et corporis et praesertim ipsius vitae terrestris fructus comprehen-

interpretari „*mortalis evades;*“ sed res ita se habet, ut in mortalitate, quae peccatum subsequitur, verbum divinum statim ratum fiat[42]), et homo inde ab hoc temporis puncto quasi mori incipiat. Miseriis, quas Deus ei injungit 3, 18 sq., hoc efficitur, ut mortalitatis perpetuo memor maneat, donec Deus poenam, quam constituit, exsecuturus sit (3, 19. עד שובך אל־האדמה)[43]).

---

duntur, unde fit, ut voce מות nunquam illa ἀπώλεια possit significari, quae ab ipsa morte corporis sit sejuncta. (Vid., quae de hac re in tertia hujus libri parte disputabo). — Non propius ad veritatem accessit Baumgarten-Crusius, qui (bibl. Theol. p. 351) censet, locis 2, 17. 3, 3. coll. 3, 19. asperius tantum mortis genus indicari, quam id, quod homini ab initio destinatum erat: quae sententia fortasse ex Gen. 5, 24. 2 Cor. 5, 4. probabilis reddi potest, illis vero locis confirmari nequit. — Quod Tuch (comm. in Gen. p. 49) statuit, primum peccatum non ipsius mortis exstitisse causam, sed hoc effecisse, ut homo mortalitatis naturae suae a principio inhaerentis conscius evaderet: id ex recentiorum theologia est depromtum, ab antiqua autem simplicitate plane alienum. — Sane maxime mirabilis est sententia Hofmanni (*Weissagung und Erfüllung* T. 1. p. 67.), qui opinatur, 2, 17 de ἀνδρογύνυ primi hominis diremtione agi.

42) Perbene hanc rem illustravit Drechsler (Comm. in Jesaj. T. 1. p. 290).: „*Die Menschen sind keineswegs gestorben, da sie von den Früchten jenes Baumes assen, und doch ist das Wort des Herrn ein im vollkommensten Sinn erfülltes. Die Wahrheit ist, dass eben in diesem Worte der Drohung die gesammte spätere Entwickelung als Eins zusammengefasst wird.*“ — Eodem modo jam Augustinus locum nostrum interpretatus est (de pecc. mer. l. 21): „*quamvis annos multos postea vixerint, illo tamen die mori coeperunt, quo mortis legem, qua in senium veterascerent, acceperunt. Non enim stat vel temporis puncto, sed sine intermissione labitur, quidquid continua mutatione sensim currit in finem, non perficientem sed conficientem.*“

43) Mau (p. 60 sq.) ex hoc ipso loco argumentum repetit, quo sententiam suam confirmet. Negat, verbis עד שובך etc. poenam de homine sumendam significari („*Es ist die einzig natürliche Auffassung diese, dass das Zurückkehren zur Erde als der Termin genannt sei, bis zu welchem die angekündigte Strafe währen soll, eine umschreibende Auflösung des kürzeren „alle Tage deines Lebens“* V. 17, *so wie überhaupt* 18 *u.* 19 *eine Ausführung dessen bilden, was* 17 *kurz zusammengefasst ist. — Der Zweck aber dieser wiederholten Angabe des Termins ist kein anderer, als hervorzuheben, dass eben das ganze Leben die Plage nicht enden soll, also die Ankündigung der Strafe zu schärfen*“). Demum iis, quae 3, 22 sq.

Ex Gen. C. II et III intelligitur, cur Num. 16, 29. mors communis omnium hominum poena[44]) dicta sit. Alii autem loci, quibus perspicue declaretur, peccatum principalem mortis causam exstitisse, desunt in Vet. Testamento. Nam, ut eos, quos nonnulli insuper huc traxerunt, paucis attingam, Num. 27, 3. tantummodo, si verba כי בחטאו מת perperam explicaveris[45]), huc referri potest; ex Ps. 90, 7. autem, si verba urgere velis, non id efficitur, mortem omnino peccati poenam esse, sed id tantum, celerem fugam ac brevitatem vitae humanae ab ira Dei peccatis hominum succensentis esse repetendam. Nihilominus hunc et similes locos ad confirmandam eam, quam supra proposuimus, sententiam gravissimos esse, paulo post videbimus.

---

narrata sint, poenam contineri, quam Deus 2, 17 minatus erat. Cui sententiae cur assentiri non possim, nolo h. l. prolixe exponere; sufficiet haec protulisse. Mirum sane foret, si Deus, ubi homini poenam denunciat, illius poenae, quam antea (2, 17) denunciaverat, nullam omnino mentionem faceret, et demum V. 22, ubi secum loquens inducitur, eam commemoraret. Quod 3, 22 sq. narratum est, non ipsa est poena de homine sumta, sed eo consilio fit, ne homo poenam de eo sumendam irritam reddat. — (Verba וחי לעלם nonnisi vitam sempiternam terrestrem significare possunt; quam Mau l. c. p. 66. aeternitatis notionem proponit „*eine Weise des Daseyns*, *welche entspräche der Weise, wie Gott lebt*", ea a Vet. Testamento videtur aliena).

44) Cf. ad voc. פקדה praeter alios locos praesertim Jes. 38, 10, ubi verba פֻּקַּדְתִּי יֶתֶר שְׁנוֹתָי, ita ut Hitzig ea interpretatus est, vertenda sunt: „*multatus sum residuo annorum meorum.*" Etenim propter peccata sua se praematura morte absumtum iri, arbitratus erat Hiskias (V. 17 fin.). — Aliter Num. 16, 29. explicavit Mau l. c. p. 82: „*ich bezweifle nicht, dass von der Todesstrafe, wiefern sie für besondere Verbrechen verhängt wird, die Rede ist, wie es denn auch dem Zusammenhange angemessener ist, dass die Korachiten mit andern Verbrechern, als dass sie mit den anderen Menschen überhaupt verglichen werden.*" Tum vero verba כל־האדם valde inepte essent dicta.

45) Ut jam Vulg. („*sed in peccato suo mortuus est*") et *Lutherus.* Tamen haec interpretatio fortasse defendi potest, si verba כי בחטאו מת ad magnam illam Israëlitarum internecionem (Num. 14, 29 sq.) retuleris (vid. Mau l. c. p. 82). — Sed rectius haud dubie de Wette illa verba interpretatus est: *er war aber nicht unter der Rotte, dass er um seiner Sünde willen starb.* Cf. Jul. Müller, die *christl. Lehre* von der Sünde T. II. p. 387.

Altera ex parte reperiuntur aliquot loci in Vet. Testamento, qui cum sententia nostra pugnare videantur, ubi scilicet ex hominis fragilitate et mortalitate causa repetitur, cur Deus hominibus parcere debeat (e. g. Ps. 89, 47—49)[46]), eorumque peccata praetermittat et condonet (Ps. 103, 13 sq. et al.). Sed ea omnia ex praesentis humanae infirmitatis experientia sunt dicta, nec de prima hominis conditione aliquid statuunt. Res aeque se habet, ac si quis ex Gen. 8, 21. colligere velit, hominis ad pravum proclivitatem ab initio ex necessitate humanae naturae prorupisse.

Mihi autem hoc maxime premendum videtur argumentum, quod contra universam Vet. Testamenti indolem pugnaret sententia, mortalitatem hominis ex naturae necessitate manasse. In hac enim re Vet. Testamentum omnino longe discedit ab ethnicorum opinionibus, quod res asperas a culpa hominis non potest secernere, et hanc ob causam omnia, quibus homines affliguntur, mala, qualiacunque sunt, neque ad fati necessitatem, neque ad fortunae ludibrium, sed ad Dei sancti, hominum delictis irascentis numen revocanda esse docet. Jam vero si in iis, quibus justitia divina sontes puniens manifesta fit, Vet. Testamentum praecipue vitae ad mortem properantis fugam ducit[47]), quomodo fieri potest, ut mors ipsa, quae pro malorum summo habetur, ex mera naturae necessitate repetatur. — Qua de re in tertia hujus libri parte copiosius disputabimus.

2) Utrum vero peccatum et mortalitas hominis necessitate quadam inter se conjuncta sint, an „*tantummodo peccati occasione quadam mortem genus humanum contraxerit*“ (quae fuit sententia Fausti Socini; vid. Disput. ejus *de statu primi hominis ante lapsum* C. VIII, opp. ed. Irenop. 1656. T. II. p. 262), — de hac re ex Gen. C. II. et III. decerni nequit. Sed illam priorem sententiam veram esse, ex Gen. 6, 3. intelligitur. Cujus

46) „*Quousque, Domine abscondes te; — memento, quid sit vita, in quam vanitatem creaveris omnes homines;*“ quae quidem interpretatio praeferenda videtur ei, quam Calvinus et Hengstenberg protulerunt: „*cur frustra creasses homines,*“ sc. si in hac vitae brevitate divina bonitate non fruerentur.

47) Ps. 90, 7 sq. „*Conficimur ira tua et te succensente perculsi sumus; nam ponis delicta nostra ante te, et occulta nostra in luce faciei tuae. Etenim omnes dies nostri abeunt per iracundiam tuam*“ etc.

loci, quamvis nonnulla verba diverso modo explicari possint, universi tamen sententia haud dubie est haec: **spiritum divinum in hominibus versantem per peccata eorum violari, et ita fieri, ut homines vanitati et fragilitati, quae carnis natura sit, obnoxii evadant**[48]). — Nam quum, ut supra exposuimus, ex spiritu divino נפש hominis perpetuo vim vitalem trahat, non potest non fieri, ut quidquid in homine spiritus divini efficaciam impedit et imminuit, idem animae vim vitalem et robur infringat. — Prorsus quidem efficacia spiritus divini peccato non statim tollitur, tum enim homo peccans extemplo desineret vivere; sed hoc verba l. c. declarant, **sempiternam** spiritus efficacitatem per peccatum tolli, ita ut homo citius interiturus sit. Inde autem simul apparet, cur omnino hominis pravitate infecti sempiterna in hoc corpore non possit vita esse, h. e. cur mors et peccatum necessario vinculo inter se sint conjuncta.

---

48) Haec exsistet sententia, sive locum laudatum explicaveris „*spiritus meus non regnabit in hominibus in aeternum*“ (cf. Dettinger, Tüb. Zeitschr. 1835. I. p. 23.), sive (ut Tuch et al.) „*spiritus meus non humiliabitur.*“ Utra interpretatio anteferenda sit, vix dijudicari poterit. — In sequentibus non dubito quin הוא ad nomen collectivum אדם referendum sit. Vix vereor, ne cuiquam placeat Hofmanni (Weissagung und Erfüllung T. I. p. 87.) בשגם ad filios Dei et הוא ad spiritum referentis interpretatio: „*in* 120 *Jahren soll es aus seyn mit dem Menschengeschlechte. Denn da mein in demselben waltender Geist durch die Verirrung der* בני האלהים *Fleisch ist, so soll er aufhören in ihm zu walten. Folge von der Verirrung der* בני האלהים *war ja die Geburt der* גבורים, *was, wie mir däucht, wohl so ausgedrückt werden konnte, der Geist sei in solchen selbst Fleisch geworden*“ — mira sane locutio, quae ne unius quidem loci auctoritate probari potest. — Verba הוא בשר significant, quid ex peccatis hominum, spiritum divinum violantibus **consequatur**, illos scilicet jam carnis fragilitati subjectos fieri. Aliter verba explicat Hengstenberg (Beiträge z. Einl. in's A. T. T. II. p. 329): „*In dem Menschen soll Gottes Geist nicht ferner richten, weil die Menschen sich als Fleisch, unfähig sich durch Gottes Geist bessern zu lassen, kund gegeben.*“ Sed ita vocabulo בשר significatio tribuitur, quae in Vet. Testamenti libris omnino (etiam Kohel. 2, 3. 5, 5.) ab eo est aliena. Potius vox בשר hoc loco eandem vim habet, ut in Ps. 78, 39. Jes. 40, 6. et al.

C.

His praemissis Mosaismi de rebus post mortem futuris sententia facile intelligetur. Secundum ea, quae de hominis natura dicta sunt, ubi absumto spiritu animae et corporis conjunctio diremta est, necesse est alterum fieri de duobus, ut aut נֶפֶשׁ sede sua et quasi vitae instrumento privata ipsa intereat atque ita universus homo deleatur, aut נֶפֶשׁ, a spiritu deserta et corpore privata, debilis quidem et flaccida, sed tamen (quoniam in ea persona hominis sita est), sui conscia maneat et in alium locum migret. Ex his duabus posteriorem Mosaismi et omnino Vet. Testamenti sententiam esse, id, quamvis nonnulli loci separatim inspecti priori favere videantur [49]), apparet ex iis, quae Vet. Testamentum de Orco (שְׁאֹל) et de animarum in eo degentium conditione statuit: quae doctrina in Pentateucho inchoata, deinde a posterioribus scriptoribus amplificata est et exculta, ita tamen, ut hi prorsus novi nihil adjicerent.

1). Orci (שְׁאֹל) [50]), in quo mortuorum animae versantur, imago ad similitudinem ingentis sepulcri est adumbrata, quod

---

49) Ps. 104, 29. 146, 4 et al. — Eos locos cum sententia Vet. Testamenti de Orco non pugnare, ex Kohel. 12, 7. coll. 9, 10. ostendi potest. Etenim priorem locum si separatim inspexeris, facile tibi persuadebis, Ecclesiastem opinari, morte universum hominem deleri. Tum vero ex 9, 10. disces, quum corpus in pulverem et spiritus ad Deum redierit, ipsum hominem (אַתָּה) superesse et ad inferos descendere.

50) De origine vocabuli שְׁאֹל multa disserere, quum res nihil ad quaestionem nostram faciat, supervacaneum videtur. Id unum moneo, Gesenium (in thes. s. v. p. 1348) sententiam Hupfeldi (vid. Zeitschr. f. Kunde des M. l. T. II. p. 462) nimis confidenter respuisse. Etenim verbum שָׁעַל, unde Gesenius, Böttcheri et Hitzigii (comm. in Jes. 5, 14) sententiam secutus, nominis שְׁאֹל originem repetit, fortasse ipsum ex radice primitiva שַׁל, שׁוּל, cujus vim (= χάω, hio, χαλάω) Hupfeld l. c. bene explicavit *), originem duxit: quemadmodum e. g. verbum פָּעַר ad radicem פַּר revocaverim, certe eodem jure, quo Delitzsch

---

*) Nonnulla addi possunt ex Pottii etymolog. Forsch. T. I. p. 142.

quum ex universa ejus ut vasti specus subterranei et tenebricosi descriptione [51]), tum ex eo perspicitur, quod nomen sepulcri בּוֹר (Jes. 14, 15 et al.) [52]), putredo (Jes. 14, 11.) aliaque sepulcri propria etiam ad Orcum transferuntur [53]). — Nihilominus satis certum est, Orcum, quae est animae sedes, a sepulcro, in quo corpus situm est, et id jam in Pentateucho, distingui [54]). Verba נֶאֱסַף אֶל־אֲבוֹתָיו (עַמָּיו) (vel בָּא), quae nonnulli ubique de descensu in sepulcrum interpretantur, pluribus locis haud dubie ad locum quendam a sepulcro diversum referenda sunt (Gen. 25, 8. coll. v. 9. 35, 29. 49, 33. coll. 50, 3. Num. 20, 24 sqq.) [55]): unde verisimile fit, eadem iis locis, de

---

(Jesurun p. 60) radices געל, גאל et חל, atque ipse Gesenius (thes. p. 1225) radices קער et קור, לעז et לוז cognatas esse statuunt. — Sententia Redslobii, qui (v. Illg. Zeitschr. VIII, 2. p. 5) verba שאל, שעל, שגל, שער et al. a radice קר exiisse censet, mihi parum probabilis videtur.

51) V. Redslob l. c. p. 11. *„Jene Familiengrüfte in Höhlen, welche die Hebräer selbst hatten, und ihre Düsterheit, jene ungeheuren Katakomben, in welchen die Aegypter die Bevölkerung ganzer Städte mumificirt versammelten, mit ihrer Stille, sind das Urbild, von dem die Scheolidee ausgegangen ist"* — maluerim dicere, unde descriptio Orci lineamenta et ornamenta poëtica traxit. Nam quod in Vet. Testamenti sententia de inferis gravissimum est, sors scilicet et conditio animarum in Orco degentium, id longe alio nititur fundamento.

52) Hengstenbergio (Comm. in Ps. 28, 1.) verisimile videtur, vocabulo יוֹרְדֵי בוֹר semper *descendentes in Orcum* significari: quod quidem locis Ezech. 32, 18. 24. confirmari videtur. Sed ipsam vocem יוֹרֵד Hengstenberg nimis argute ita explicat: *„Da man übersetzen muss: die zur Grube hinabfahren, nicht hinabgefahren sind, so kann wohl nur an die lange (?) Reise zum Scheol, nicht an den kurzen Weg zum Grabe gedacht worden."* At cf. יֹרְדֵי עָפָר Ps. 22, 30. רִדְתִּי אֶל־שָׁחַת Ps. 30, 10.

53) Plura exempla suppeditat Knobel (in comm. ad Kohel. p. 300), qui tamen nonnulla confudit, quae diligenter discernenda sunt.

54) Aliter judicant Kiesselbach, dogma de reb. p. mortem fut. etc. Heidelb. 1832., Rhode, *über den Unsterblichkeitsglauben der alten Hebräer* etc. (in Illg. Zeitschr. X, 4. p. 3 sqq.) et alii.

55) Vid. Saalschüz l. c. p. 17 sqq., Gesenius l. c. s. v. אסף p. 131., Steudel, Theol. des A. T. p. 115., Hahn l. c. p. 13.

quorum sententia, si seorsum eos inspexeris, dubitare licet, pariter explicanda esse. Ipsam autem vocem שְׁאֹל ex antiqua loquendi consuetudine, qualis in Pentateucho obtinet, etiam de sepulcro usurpatam fuisse, quod multi opinati sunt [56]), omnino comprobari nequit. Etenim ex iis, quos pro hac sententia afferre solent, locis unus, Gen. 37, 35. contrarium docet, quia Jacobo non licuit dicere, se ad Josephum filium, quem laniatum opinabatur, in sepulcrum descensurum esse. Si quis autem verba הוֹרִיד שֵׂיבָה בְּיָגוֹן שְׁאֹלָה (Gen. 42, 38. 44, 29. 31.) ita velit urgere, ut tantummodo ad sepulcrum referri debeant, idem faciat necesse est in explicandis similibus locutionibus, quae Jes. 14, 11. et alibi occurrunt. Quodsi vero hae ad literam non sunt accipiendae, non est, quod in priori illa locutione haesitemus. — Duo insuper exstant loci Num. 16, 30—33. Deut. 32, 22., quibus vox שְׁאֹל sepulcrum omnino significare non potest.

In posterioribus vero Vet. Testamenti libris (Jes. C. 14. Ezech. C. 31. 32. Job. C. 3. et al.) Orcum, quo mortuorum umbrae congregantur, a sepulcro discerni, ita est in promtu, ut vix egeat disputatione [57]). Permiscentur quidem nonnunquam, ut paulo ante dixi, in descriptione conditionis mortuorum, quae Orci et quae sepulcri propria sunt; sed ea ambiguitas, si ulla est, tollitur aliorum locorum perspicuitate. Exemplum suppeditat Jes. 14, 11., ubi propheta de Scheole ita loquitur, ut, qui solius hujus versiculi rationem habuerit, facile sibi persuadere possit, nil nisi corporis in sepulcro siti conditionem ibi describi. Sed contrarium disces ex iis, quae proxime sequuntur. Canit enim propheta (v. 18 sqq.), regis Babylonici corpus omnino non sepulcro conditum, sed inhumatum inter occisorum cadavera projectum iri: unde perspicuum fit, iis, quae ante dicta sunt, locum a sepulcro diversum, in quem anima regis migratura sit, significari. Alios insuper locos, ex quibus idem ostendi potest, recensere supervacaneum videtur.

2) Difficilius autem erit, decernere de hac quaestione, num Vetus Testamentum, quemadmodum Orcum animarum sedem a sepulcro secernit, ita omnino neget, animis post mortem

56) Cf. e. g. Baumgarten-Crusius, bibl. Theol. p. 329. not.

57) Cf. Hahn l. c. p. 27.

cum corporibus, ex quibus evaserunt, ullam amplius rationem intercedere. — Certum quidem est, insigne hac in re discrimen exstare inter Vet. Testamenti sententiam de rebus mortuorum et disciplinam Aegyptiorum, quam multi perperam illi comparaverunt [58]). Aegyptii enim arbitrati sunt, nisi corpus condimentis servatum sit, animam ad requietem in Amenthe propositam venire non posse, sed ab aliis corporibus ad alia transire cogi [59]). Hanc autem opinionem a Vet. Testamento prorsus abhorrere, ex eo apparet, quod Israëlitae mortuorum corpora, quippe quibus destinatum esset in pulverem redire (Gen. 3, 19.), non condita et celerrime quidem humare solebant. Sed et, quod Graeci ac Romani existimabant, animam nisi corpore rite sepulto et terrae reddito in Orco non recipi [60]), a Vet. Testamento est alienum. Hoc enim eos quoque, quorum corpora inhumata projecta essent, ad inferos descendisse docet (Jes. 14, 15 sqq. Ezech. 32, 17 sqq.). Et quamquam foedissimum habebatur, si quis sepulturae non esset particeps factus [61]), id tamen ad ipsius animae conditionem nihil pertinere credebatur [62]).

---

58) Jam Tacitus, ubi de rebus Judaeorum disserit (hist. V, 5.), „*corpora*, inquit, *condere quam cremare e more Aegyptio, eademque cura et de infernis persuasio.*“ — Plura de hac re infra (D, 2) disputabimus.

59) Serv. ad Virg. Aen. III, 67. „*Aegyptii periti sapientiae condita diutius reservant corpora, scilicet ut anima multo tempore perduret et corpori sit obnoxia, nec cito ad alia transeat.*“ — Hac sententia diversas, quas Herodotus, Diodorus et Plutarchus tradiderunt, Aegyptiorum de mortuornm sorte opiniones facile inter se conciliari, recte recentiores docuerunt.

60) Cf. Naegelsbach homer. Theol. p. 345. „*So lange der Leib nicht vernichtet ist, steht er mit der ψυχή in einem geheimen Rapport. Die Seele hat noch ein Element der Leiblichkeit an sich. Sie ist noch nicht einerlei Wesens mit den Seelen bereits verbrannter Leiber geworden, und wird daher von diesen auch nicht über den Fluss gelassen.*“ — Hartung, Religion der Römer T. I. p. 49. „*Die Erde beherbergte keinen, der ihr nicht durch feierliche Ceremonien von symbolischer Kraft übergeben war*“ etc.

61) Vid. Winer, bibl. Realwörterbuch T. I. p. 173.

62) Ne ea quidem sententia probari potest, quam Ewald (ad Ezech. 32, 21 sqq. — Proph. des A. B. T. II. p. 333) proposuit, eos scilicet, quorum corpora hostili in terra turpiter jaceant insepulta, propterea quod

Nihilominus Vet. Testamentum fortasse non plane abhorret ab hac sententia, animae apud inferos versanti certe eatenus arcanum quoddam commercium cum corpore esse, ut putredinis ejus aliquem sensum habeat. Forsitan huc spectaverit Job. 14, 22., ubi verba בשרו עליו יכאב haud dubie non ad corporis umbram sunt referenda, qua Vet. Testamentum animas in Orco degentes vestitas facit (1. Sam. 28, 14 et al.), — nam illa בשר nominari non potuit, sed potius ad ipsum corpus, quod in sepulcro situm est. Etenim in cadavere, dum tabe absumitur, sensum nondum exstinctum esse, etiam Jes. 66, 24. declaratur. Verum non satis perspicuum est, num inter illum dolorem, quem Jobus in corpore putrescenti inesse dicit, et tristitiam, qua animam pressam facit (נפשו עליו תאבל), ulla ratio intercedat. — Nescio an ad comprobandam illam sententiam rectius adhibeatur locutio ראה שחת Ps. 16, 10. 49, 10., quippe quae videatur indicare, ad ipsum mortuum ea, quae corpus in sepulcro patitur, quodammodo pertinere. Id omnino certum est, *cernere* h. e. experiri *sepulcrum* non significare nihil aliud nisi *descendere in sepulcrum*. — Sed firmam sententiam de tota hac re proponere non licet. — Apud posteriores Judaeos occurrit opinio, animam (נפש), quoad corpus in putredinem non abierit, cum eo conjunctam manere, et demum, postquam cadaver in pulverem abierit, cum spiritu, qui in Paradiso versetur, rursus consociari (vid. Eisenmenger, entdecktes Judenthum T. I. p. 887 sq.). Quae sententia quam facile ex iis, quos ante attulimus, locis Veteris Testamenti nasci potuerit, nemo non intelliget.

3) Nulla amplius ratio animae hominis mortui intercedit cum spiritu vitali, qui ad Deum rediit (Ps. 104, 29. Job. 34, 14. Kohel. 12, 7.). — Alia est sententia Heyderi (l. c. p. 48 sqq.), qui, ut omnino distracta morte naturae

---

communi honore in morte caruerint, in Orco haberi inter omnes miserrimos (— *„als ohne die Ceremonien der Leichenreinigung und heiligen Bestattung geblieben, war es, als trügen sie noch in der Hölle ihre Schmach — daher sie hier auch Unbeschnittene d. i. Unreine, Nichtgereinigte heissen.“*) — Sed propheta h. l. de alia quadam ignominia loquitur. Contumelia afficiuntur Elamitae, quia jam apparet, quam vana fuerit pristina eorum superbia. — Vocis ערלים autem, quam propheta l. c. pluries usurpat, longe alia est sententia. Vid., quae rectissime Haevernick (in comm. ad h. l.) hac de re exposuit.

humanae elementa quodammodo inter se cohaerere censet, ita praesertim perpetuum animae in Orco versantis et spiritus in divino numine reconditi et asservati commercium statuit. „*Etenim*, inquit, *anima esse desineret, nisi per spiritum e materia inanima quodammodo eximeretur. Itaque ut post mortem non pereat, sed tantum non pereat, ejus rei causam in eo ponas, quod ne tum quidem omnis generis commercium cum spiritu est sublatum.*“ — Qua in sententia hoc verum est, animam ob eam tantum causam post mortem remanere posse, quod ipsa spiritu orta, etiam ubi a spiritu sustentanti deserta est, suam servat spirabilem naturam [63]. Quod quo jure commercium animae cum spiritu in numen divinum reverso dici possit, equidem non video. Ne illud quidem probari potest, spiritum hominis a Deo post mortem receptum non confundi cum universo spiritu vitali, sed quasi recondi in Deo et asservari. Argumenta, quibus Heyder l. c. sententiam suam stabilire conatur, non sunt exegetica, sed philosophica et dogmatica. Ex Vet. Testamenti locis, si verba urgere volueris, facilius contrarium concludes, et maxime quidem ex Ezech. 37, 14. Is enim locus, (de quo in secunda hujus libri parte accuratius disseremus), quum mortuorum resurrectionis imaginem repraesentet, id ipsum docet, qua ratione mortui in vitam redituri sint. Ibi vero propheta non dicit, Deum mortuis, quos in vitam revocaturus sit, ipsorum spiritum in divino numine asservatum reddere, sed suum ipsius spiritum (רוּחִי) in iis ponere.

4) Jam vero de ipsarum animarum in Orco degentium sorte et conditione disserendum est. Quae qualis sit, ex iis, quae in superiori disputatione de hominis natura diximus, facile colligi potest. Nam quum anima omnem vigorem et omne robur non ex se ipsa, sed ex spiritu sustentanti trahat, deserta a spiritu non potest non debilis et imbecilla esse; eadem quum corpore careat, nullam amplius in alias res vim exercere poterit, sed segni et desidioso otio languebit. Quid? si ea, quae de cordis et animi discrimine disseruimus, accuratius reputaverimus, concludere licebit, quaecunque in firmo ac constanti animi et mentis habitu consistunt, sapientiam, scientiam, consilium et ejus-

63) Quocirca animae in Orco versantes, 1 Petr. 3, 19. *πνεύματα* dicuntur. — Parum verisimile est, in Job. 4, 15. voce רוּח spectrum sive animam mortui hominis significari; vid. Hirzel ad l. c.

modi alia in Manes, quoniam excordes sint, cadere non posse. — Ac revera talem describit Vet. Testamentum animarum in Orco vitam, siquidem recte vita est nominanda. — Debiles et flaccidi sunt (aegrotorum instar Jes. 14, 10.) Orci incolae, unde nomen eorum רפאים ductum videtur [64]). Nihil curant, nihil agunt, cessatione torpent (Job. 3, 14 sq.), nec quidquam ad eos pertinet sors eorum, quos in terra dilectos reliquerunt (Job. 14, 21); *„neque opus, neque ratio, neque scientia sapientiave est apud inferos, quo tu descendis“* (Kohel. 9, 10. coll. 5), quamobrem Orcus Ps. 88, 13. ארץ נשיה et incolae ejus Jes. 38, 11. יושבי חדל dicuntur. Nec solum a rebus humanis et luce terrestri seclusi sunt, qui locum illum habitant atra caligine pressum (Job. 10, 4 sq.), sed etiam ab omni cum Deo communitate; Deum non amplius laudare, nec miracula ejus celebrare possunt (Jes. 38, 18. Ps. 6, 6. 88, 13. 111, 17).

Quoniam autem, ut supra exposuimus, in anima hominis persona sita est, sensus in Manibus non plane est exstinctus, nec sui ipsorum conscii esse desierunt [65]), (etenim non omni dolore vacant Job. 14, 21., sentiunt, se imbecillos esse, agnoscunt advenas Jes. 14, 9. etc.), — quamquam conscientia eorum et memoria non stabilis, sed plurimum temporis velut somno sopita, et interdum tantum, si singulare quidquam inciderit, quod inferorum quietem turbet, excitata videtur (Jes. 14, 9 sq. coll. 1 Sam. 28, 15). — Hac in re Veteris Testamenti doctrinam ab Homeri de Manibus sententia, cui ceteris partibus simillima est, insigni ratione discedere, quisque facile cognoscet. Homerus enim Ma-

---

64) Notabile est, vocabulum נפש de anima in Orco versanti, excepto uno loco Job. 14, 22. (nisi qui alius me forte fugit), nusquam usurpari, sed tantummodo de anima in Orcum tradenda vel ex Orco servanda Ps. 16, 10. 86, 13. et al. — Vocem רְפָאִים ex singulari רָפָה repetendam esse, recte vidit Hitzig (ad Jes. 14, 9); itaque ea significat *debiles, infirmos.* — Gesenius (in thes. p. 1302) ex radice רָפָא voci mavult significationem *quietis* tribuere.

65) Heyder, quod ex falsa ejus de נפש sententia necessario sequitur, l. c. p. 47. perperam ita judicat: *„perire disjunctis naturae humanae elementis conscientiam humanam est necesse; ex illorum enim nata est conjunctione. Neque igitur, si quis ad immortalitatem conscientiam necessario pertinere opinatur, ab auctoribus sacris negatam illam esse immerito contenderit.“*

nes omnino conscientia destitutos fingit, neque eos, quum ab inferis excitati sunt, nisi hausto sanguine, qui quasi φρενῶν atque ἦτορος vice fungitur, conscientiae et memoriae rursus compotes fieri docet [66]). Cujus opinionis in Vet. Testamento neque ullum vestigium occurrit, et contrarium declaratur iis, quae 1 Sam. C. 28. narrata sunt.

5) **Inter animas, quae in Orco versantur, Vet. Testamentum ullum discrimen esse negat.** Ut omnes eodem coguntur (nam, *„quis vir vivit, nec videat mortem, et animam eripiat ex Orci potestate?"* Ps. 89, 49. cf. Hab. 2, 5. — quamobrem Orcus Job. 30, 23. בית מועד לכל חי dicitur): ita sors omnium una eademque est, sive divites, sive pauperes, sive nobiles et clari, sive humiles et obscuri in vita terrestri fuerunt (Job. 3, 17—19). Tantummodo secundum gentes manes separati sunt, quod et ex dicto illo, *mortuos ad patres sive ad gentiles suos congregari*, in Pentateucho identidem obvio, et ex Orci descriptione, quam Ezech. 32, 17 sqq. exhibet, intelligi potest. — Nec quidquam interest inter bonos atque malos, nam vitae terrestris sive bene sive male actae apud inferos nulla ratio habetur, qua in sententia ne libri Koheleth quidem auctor, qui postremis Vet. Testamenti scriptoribus annumerandus est, a veteribus discrepat (cf. 9, 5) [67]). Admodum rari exstant loci, quibus fortasse contraria sententia proditur. Duobus enim locis Jes. 14, 15. Ezech. 32, 23., qui tyrannos Babyloniorum et Assyriorum in infimum Orcum (יַרְכְּתֵי בוֹר) detrusos faciunt, videtur indicari, superbissimo cuique et maxime nefario homini horribiliorem quam ceteris apud inferos sortem propositam esse [68]). Similis senten-

---

66) Vid. Naegelsbach, homer. Theol. p. 342 sq. Ipsum tamen Homerum hac in re sibi non constare, exposuit Naegelsbach p. 346 sq.

67) De iis locis, quibus auctor libri Koheleth judicium post mortem futurum statuere videtur, in tertia hujus libri parte disseram. — Ibidem disputabitur de ea quaestione, num ex paucorum locorum sententia Scheol tantummodo pro improborum sede habendus sit.

68) Sic statuit Ewald (ad Ezech. l. c. Proph. T. II. p. 334.): *„Der Assyrer am tiefsten in die Hölle gesunken, weil am schuldigsten."* — Ewaldo assentitur Haevernick in comm. ad l. c. — Ex iisdem locis fortasse fluxit ille ᾅδης σκοτιώτερος, quem Josephus (bell. jud. III, 8. 5.) iis assignat, qui ipsi sibi mortem consciverunt. — Ce-

tiae vestigia fortasse reperies in Jes. 24, 22. Dan. 7, 11. [69]); sed de his aptius alio loco disputabitur.

D.

Perfectiori de rebus post mortem futuris doctrinae, quae diversam bonorum ac malorum sortem, vitae in hac terra actae consentaneam statueret, in ipso Mosaismo locus datus non erat. Nam 1) quae piis divinitus promissa est, beatitudo (חַיִּים) omnis hac vita absolvitur, et tota posita est in terrestri felicitate. Quod perspicuum fit ex Lev. 26, 3 sqq., Deut. 28, 1 sqq. et multis aliis similibus locis, ubi externae commoditates, ubertas frugum et fructuum, victoria de hostibus, longa et valens aetas, posterorum copia et ejusmodi alia iis, qui leges divinas diligenter observaverint, promittuntur. — Haec tamen noli ita intelligere, tanquam si Mosaica disciplina statuerit, res externas per se omnino hominem felicem reddere posse. Immo longe aberrant a veritate, qui opinati sunt, pium Israëlitam in perfruendis voluptatibus bonorum finem posuisse, nec dubitasse, quae ad beatam vitam pertinerent, omnia ventre metiri. Quae enim Deus piis pollicetur, bona omnia hac promissione absolvuntur (Lev. 26, 11 sqq.): „*habitationem meam in mediis vobis collocabo, nec fastidiet vos anima mea. Incedam inter vos atque ero vobis Deus, et vos eritis mihi populus.*“ Hinc pius Israëlita nihil censet esse bonum, nihil expetendum, quod sit sejunctum a communitate, quae ipsi est cum Deo; nec ille terrestrium bonorum cumulus ulla ei videtur felicitas, si ipse Dei propitii praesentia careat. Sed vicissim Mosaismus etiam pii cum Deo societatem a terrestri prosperitate, quae illius et fructus et pignus est, disjungere nequit, nec quomodo cum externorum bonorum jactura Dei bene-

---

terum, si recta est, quam proposuimus, locorum laudatorum interpretatio, rursus mirum in modum hac de re cum Vet. Testamento consentit Homerus, qui et ipse bonorum et malorum diversam apud inferos sortem esse negat, nisi quod singulos quosdam impietate et nequitia insignes homines singularibus poenis affectos facit. (Vid. Naegelsbach, l. c. p. 347.)

69) Vid. Vatke, die Relig. des A. T. T. I. p. 588. nt. 4. „*Dan.* 7, 11. *vgl. Jes.* 24, 22. *findet sich die erste Spur vom höllischen Feuer und einem Orte der Verdammten.*“

volentia stare possit, satis explicare potest. Remunerationem pietatis et malorum terrestrium compensationem post mortem futuram lex Mosaica piis Dei cultoribus nunquam proponit. Dum vivunt, Dei propitii bonitatem et clementiam eos experiri necesse est, eamque experti profecto beati sunt, nec desiderant felicitatem mortuis eventuram. — Tristissima quidem est, quae omnibus imminet, mortuorum conditio: quod ex iis ipsis, quae hucusque exposuimus, intelligitur. Verumtamen certe in Pentateucho nondum ea reperitur mortis atque inferorum formido, quae posterioribus temporibus piorum maxime excruciavit animos. Etenim sedato animo mortem exspectant patriarchae, quum aetate ingravescente jam saturati sint bonis terrestribus et suas in terra vices expleverint. Fessorum instar viatorum post diuturnam peregrinationem, quacum vita terrestris comparanda est (Gen. 47, 9. coll. Ps. 39, 13. 1 Chron. 29, 15), quietem desiderant, quam sibi apud inferos paratam fore sperant. Morientibus insuper hoc suppetit solatium, quod, antequam ex hac vita migrant, et filiorum felicitatem conspexerunt, et posteris in sempiternum firma fore, quae Deus promisit, laeti confidunt (Gen. 48, 21. 50, 24 et al. [70]), coll. Ex. 20, 6.). Hoc est illud mori בְּשָׁלוֹם et בְּשֵׂיבָה טוֹבָה Gen. 15, 15. 25, 8. et al. — (Longe aliter atque Patriarchae de sortis post mortem futurae acerbitate posteriori-

70) Eodem referenda videntur verba morientis Jacobi Gen. 49, 18. לִישׁוּעָתְךָ קִוִּיתִי יהוה, quibus beatae immortalitatis spem expressam esse, nonnulli opinati sunt. Bene ea Calvinus (in comm. ad Gen.) ita illustravit; „(Jacobus) *videns multas molestias, multa discrimina, multos insultus, multas etiam clades, quae semini suo totidem minantur exitia, fieri non potest, quin condoleat, atque etiam secundum hominem turbetur. Verum ut victrice animi constantia contra omne tentationum genus insurgat, sese ad Dominum transfert, qui pollicitus fuerat, se illius populi fore praesidium. — — Quamquam autem non sibi privatim Jacob salutem, sed posteris suis omnibus speravit: hoc tamen notatu dignum est, quod in multa saecula ostendit salutiferum Dei foedus, ut se mortuo Deum fore veracem non dubitet. Unde etiam sequitur, inter ultimos spiritus et quasi in media morte vitam aeternam apprehendisse.*“ Rectius dixeris, Jacobum ita loqui, ut suae gentis futura saecula ad se ipsum quoque pertinere intelligat, in quo sensu vitae aeternae quoddam augurium inesse videtur. Cf. quae post (E, 3.) disputabuntur.

bus seculis pii senserunt. Sed de hac re in tertia hujus libri parte accuratius disseremus.)

2) Ut autem hac in vita recte factis divina praemia exstant, ita supplicia peccatis. Terrestrium bonorum privationem lex omnibus improbis minatur, ac si quid gravius deliquerint, immatura morte abrepti vel capite puniti poenas scelerum pendunt. Maxime horribilis vitae finis habetur, ubi homines, ut Korachus et caterva ejus, medio ex vitae flore ac robore ad inferos improviso abripiuntur (Num. C. 16. coll. Ps. 55, 16). Ea vero sors non idcirco miserrima putatur, quod ad mala apud inferos parata ducat, sed quod abducat a bonis terrestribus. Nam quid tristius cogitari potest, quam si ii, qui terrae bonis nondum delectari desierunt, vitae luce, qua laetantur, subito privati in tenebras Orci detruduntur. — Nec tantum ipsorum malorum exitio divina justitia comprobatur, sed ne ulla peccatorum impunitas data videatur, expetuntur poenae a liberis et nepotibus, qui patrum vestigia secuti sunt (Ex. 20, 5. et al.).

3) Sic ex iis, quae post mortem ventura essent, neque incitamentum praesidiumve piae vitae comparandum, neque formido malis terrorem incutiens repetenda erat. — Ac si volumus hujus rei considerare principium, facile nobis persuadebimus, id ex sapientissima illa divina παιδαγωγίᾳ, quam in lege Mosaica admiramur, esse profectum. Etenim qui fieri poterat, ut homines contumaces ac refractarii religione obstringerentur, nisi Dei sancti et justi numen atque vis ante oculos iis versaretur [71]). Hoc igitur voluit universa Mosaicae civitatis disciplina ac temperatio, ut praesentis Dei et metu et amore animi implerentur, ut praesentem sanctae legis ultorem atque vindicem, praesentem piorum tutelam cognoscerent.

4) Mosaismum defendere, quod, quae in perfectam et absolutam religionem cadunt, iis careat, admodum supervacaneum et inutile videtur. Quod autem multi, qui de veterum Aegyptiorum sapientia multa inepta somniaverunt, opinati sunt, Aegyptios sua

71) Cf. Cic. de leg. II, 10. „*Quod — Deus ipse vindex constituitur, praesentis poenae metu religio confirmari videtur.*“ — Imprimis memorabile est illud Plutarchi, (de sera num. vind. C. 18), ubi exponit, poenarum post mortem venturarum metu et praemiorum futurorum spe omnino non id effici, quod suppliciorum de improborum progenie sumtorum aspectu.

de animi immortalitate sententia Mosaicam superasse, id paucis confutabo. — Mirum omnino est, quantum verbis Herodoti (II, 123) „πρῶτοι — Αἰγύπτιοί εἰσι οἱ εἰπόντες, ὡς ἀνθρώπου ψυχὴ ἀθάνατός ἐστι" — illi tribuerint, quum ipse Herodotus iis, quae proxime sequuntur, declaret, de quali animi immortalitate cogitaverit. Si nomen immortalitatis sectantur, certe eodem jure laudarent Pausaniam dicentem (Graec. descr. IV, 32): „ἐγὼ δὲ Χαλδαίους καὶ Ἰνδῶν τοὺς μάγους πρώτους οἶδα εἰπόντας, ὡς ἀθάνατός ἐστιν ἀνθρώπου ψυχή." Sed de re agitur, non de nomine. Jam vero si quaesieris, qualem Aegyptii animam humanam cogitatione informaverint, concedendum quidem est, eos praestantiorem, quam Indos, animae notionem habuisse, quum docerent, ut Tertulliani (de an. C. 33.) verbis utar, „*animam digressam a corpore non refundi in animam universi, sed manere determinatam*" [72]). At iisdem opinio fuit, hominis animam, nisi post mortem arcana quadam ratione cum corpore conjuncta maneat, solitariam perdurare non posse, sed dissoluto corpore in aliud animal transire. (Vid. annot. 59.) Quis igitur non videt, ex Aegyptiorum sententia animum humanum non sui juris, sed corpori subjectum esse [73]). Longe alia

---

72) Quasi praeteriens paucis exponam, vehementer eos errare, qui Indos (vid. praecipue Manuis legum Lib. XII. cf. Humboldt über die Bhâgavad-gîta p. 39 sqq.) et Aegyptios de rebus post mortem futuris eadem fere sensisse putant. Externa enim est similitudo, differentia maxima. Ex Indorum opinione hoc est propositum animis, ut postremo in universi vitam refundantur, qui est animarum migrationis finis, nisi jam in hac vita devotione pia *(yôga)* illud assecutae sint: Aegyptii contra docuerunt, ut Tertullianus recte dicit, animas a corpore digressas determinatas manere, quare post finitam περιήλυσιν in corpus humanum redeunt (Herod. II, 123). Quod animae post mortem in Orco *(Nâraca)* versantur, Indorum sententiâ est sors infelix, nam cruciantur et purgantur, ut in aliud corpus migrare possint; nec ea quidem, qua boni homines in Indrae coelo *(Svarga)* fruuntur, felicitas sempiterna est. Ex contrario Aegyptii quietem in Amenthe sortem felicissimam esse existimabant, justis solum eventuram et, si corpus conservatum esset, sempiternam. Itaque ut conservarentur mortuorum corpora, summae erat curae Aegyptiis, quoniam deletis corporibus animas in Amenthe permanere non posse persuasum habebant; ex contrario, ut dissipentur corpora, vult omnis Indorum sepultura, qualiscunque in diversis sectis obtinuit.

73) Vid. Vatke, Relig. des A. T. p. 695 sq. „*Hiernach ist die menschliche Seele keineswegs als sich erhaltende Subjectivität gedacht, sondern als natürliche Seele*" etc.

et multo praestantior erat Vet. Testamenti sententia, quae animum humanum non vim naturalem, sed vim divinam esse docuit [74]), quamobrem animus non per communitatem quandam, quam habet cum corpore, sed per suam ipsius spiritualem naturam in Orco manet atque durat. Ex Vet. Testamenti doctrina vera sententia de immortalitate animi potuit proficisci, ex Aegyptiorum disciplina non potuit.

E.

Restat, ut in ea inquiramus, quibus nonnulli in Mosaismo occultam aeternae vitae spem indicari opinati sunt.

1) Imprimis memorabile semper habitum est, quod Gen. 5, 24. de Henochi exitu narratum est. Nam quum immaturus vitae finis, qui alias in summis malis ducitur, Henocho a Deo ut praemium datum sit pro pietate, verisimillimum videtur, illum non in tristem Orcum, sed in vitam beatam coelestem esse translatum [75]). Quae sententia mihi quoque placet, quamvis pro necessaria haberi non possit, si, quae causa fuerit exitus Henochi, diligentius consideraveris. Haud dubie auctor libri Sap. Sal. (4, 7—15) [76]) recte judicavit, Henochum a Deo propterea esse ablatum, quod ex hominum malitia et vitae terrestris miseria eum eripere vellet. Nam haec sententia accommodatissima est iis, quae proxime sequuntur, et dicto Lamechi (5, 29.) miserias querentis, in quibus homines in terra a Deo exsecrata versentur, et crescentis malitiae descriptioni, quam C. 6. exhibet. Ita vero Henochi exitus pro pietatis praemio haberi potuit, etiamsi vir in vitam coelestem translatus non fuisset. Nam immaturam mortem, quamquam per se tristissimam, interdum in malis ducendam

---

74) Vid. Witsii Aegyptiaca p. 178, et quae ibi laudantur verba Eusebii (praep. ev. XI, 27): „ὁ μέν γε Μωσῆς πρῶτος ἀθάνατον ȣσίαν εἶναι τὴν ἐν ἀνθρώπῳ ψυχὴν ὡρίσατο, εἰκόνα φήσας ὑπάρχειν αὐτὴν θεȣ̃.“ Cf. Vatke l. c. p. 697.

75) Ita jam Sirac. 49, 14. „ȣ̉δὲ εἷς ἐκτίσθη οἷος — Ἐνὼχ τοιȣ̃τος ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ γὰρ αὐτὸς ἀνελήφθη ἀπὸ τῆς γῆς.“ Ex recentioribus cf. e. g. Menkenii comment. l. c. p. 227 sq., Tuchii Comm. in Geu. p. 135 et al.

76) Pseudosalomonem hoc loco, quamvis Henochi nomen non commemoret, tamen neminem alium in mente habuisse, nemo non concedet. Cf. Grimm, comm. in lib. Sap. p. 112 sq.

non esse, ubi scilicet a summis malis abductura sit, sententia est a Vet. Testamento non plane aliena, quod ex Jes. 57, 1. 2. (quem locum in altera hujus libri parte explicabimus) intelligi potest [77]. Concedo tamen, ut dixi, verbis לקח אתו אלהים probabile reddi, alium fuisse Henochi vitae finem ac ceterorum Patriarcharum, quorum exitus identidem (v. 5. 8. 11. 14 etc.) simplici וימת significatur, praesertim quum de Elia in coelum ascendente 2 Reg. 2, 3. 5. eadem vox לקח usurpata sit [78]. Itaque concedo, iis, quae de Henocho narrata sunt, adumbratam esse sententiam, Deum de communi mortalium sorte singulos quosdam imprimis dilectos exemisse, quibus aditus in coelum pateret et sempiterna vita beata obtingeret. Unde sequitur, ut a veteribus Hebraeis non potuerit aliena esse haec sententia, certum esse in coelo ac definitum locum, ubi pauci quidam a Deo electi aeterna felicitate fruantur: quae sententia etiam Jacobi illa visione (Gen. C. 28) excitari et confirmari potuit [79]. — Nihilominus errare videntur, qui ex Gen. 5, 24. cogi putant, ipsos Patriarchas vitae aeternae, quae piis morte absumtis in coelo proposita esset, spem fovisse, vel certe Mosem narratione illa beatam animorum immortalitatem significare voluisse. Res enim ita se habet. Henochi exitus haud dubie eo insignis est, quod Deus vivum eum abripuit, quemadmodum Elias (2 Reg, 2, 11.) vivus in coelum ascendisse dicitur [80]. Sic autem ex Henochi exemplo nequaquam colligi poterat, eos pios, qui morte (h. e. ita, ut anima a cor-

---

77) Veruntamen haec sententia in Vet. Testamento non tam late patet, quam apud Graecos. Cf. Herod. I, 31., Menander ap. Plutarchum in consol. ad Apoll. C. 34 („*ὃν οἱ θεοὶ φιλῦσιν, ἀποθνήσκει νέος*“), Plut. ibid. et C. 31.

78) Quamquam vox לקח etiam alius generis mortem significare potest, e. g. mortem vi illatam Ezech. 33, 4. 6. Jer. 15, 15. et al.). — Digna, quae afferatur, est sententia Ziegleri (theolog. Abhandl. T. II, p. 177): „*Der Ausdruck von Henoch, dass Gott ihn weggenommen habe, deutet bloss auf einen plötzlichen sanften Tod hin, der wahrscheinlich durch Blitz erfolgte.*“

79) Vid. quae de hac re scite disseruit Hahn l. c. p. 15. — Cf. Tertull. adv. Marc. III, 24.

80) Recte jam Joseph. Ant. IX, 2. 2. *Περὶ Ἠλία καὶ Ἐνώχε — — ἐν ταῖς ἱεραῖς ἀναγέγραπται βίβλοις, ὅτι γεγόνασιν ἀφανεῖς, θάνατον δ' αὐτῶν ὐδεὶς οἶδεν.*“

pore discederet) vitam terrestrem finivissent, ad vitam coelestem sublatum iri. — Quod quo facilius cognoscatur, rursus Homerica theologia conferenda est, quippe quae et in hac re Vet. Testamento sit simillima. Etiam Homerus nonnullos, quos Dii imprimis dilexerunt, de communi mortalium sorte exemtos et in Elysiis sedibus beatae vitae participes facit. Sed his omnino *ὃ θέσφατόν ἐστι — θανέειν καὶ πότμον ἐπισπεῖν* (Odyss. IV, 560 sq.), *h. e.* vivi cum corpore in campos Elysios abripiuntur [81]): quocirca ille Odysseae locus cum iis, quae Homerus de mortuorum sorte aliis locis statuit, nequaquam pugnat. — Similis est ratio exemplorum Henochi et Eliae. Hoc docent, hominem, qui pie vitae tempus transegerit, etiamnunc singulari Dei beneficio posse non mori. Hanc igitur fortasse spem excitare poterant, non in sempiternum mortem in homines dominaturam, sed venturum esse tempus, quo homines in pristinum immortalitatis statum, ex quo ceciderunt, restituantur. Et hanc ob rem illi loci sunt gravissimi. Sed de eorum, qui morte vita terrestri excesserunt, et de animi a corpore sejuncti beata immortalitate nihil omnino spei ex iis hauriri poterat.

2) Alii Pentateuchi loci, ex quibus nonnullis vitae aeternae spes elucere videbatur, si recte eos explicaveris, nihil, immo vero contrarium probant. — Quod (Deut. 34, 5) de Mose scriptum est, eum mortuum esse עַל־פִּי יְהוָה, inter Judaeos multi perperam ita interpretati sunt, ut singulare quoddam mortis genus fingerent, *mortem osculi*, *quae revera liberatio a morte esset* (Mos. Maimon. More Neb. III, 51.). Illa autem verba nil nisi *jubente Deo* Mosem mortuum significare, vix est quod moneam. Eadem (Num. 33, 38.) dicta sunt de Aharonis obitu; sed neque Mosem neque Aharonem in morte aliquid praecipui habuisse, apparet ex iis, quae Deut. 32, 50. ad Mosem dicta sunt: „*Congregator ad gentiles tuos, quemadmodum mortuus est Aha-*

---

81) Vid. Naegelsbach l. c. p. 350. cf. Weisse, zur Geschichte des Unsterblichkeitsglaubens (in Fichtii Zeitschr. f. Phil. II., 1. p. 115): „*Das Schicksal des Menelaus wird ausdrücklich — — nicht als ein nach dem Tode zu erwartendes, sondern von dem Tode ihn befreiendes Loos* bezeichnet." — Facile intelligitur, quantum haec Homeri sententia ab iis differat, quae posteriores Graeci de beata, quae piis animis in Orco proposita sit, vita suspicati sunt.

ron, frater tuus in monte Hor, *congregatus est ad gentiles suos*" [82]). — Quae a nonnullis (vid. e. g. lib. Cosri ed. Buxtorf. p. 71 sq.) ut clarissimum spei immortalitatis testimonium afferebantur verba Bileami (Num. 23, 10) „*moriatur anima mea morte justorum*" etc., ea ex recentioribus interpretibus nemo sane in hanc sententiam trahet (cf. Hengstenberg, die Geschichte Bileams p. 95 sq.). Ceteros locos, qui simili ratione perperam explicati sunt, singillatim recensere supervacaneum censeo [83]).

3) Nihilominus inerant in Mosaismo quasi radices, ex quibus perfectior rerum post mortem futurarum scientia poterat oriri. Haec enim duobus potissimum nititur fundamentis, perfectiori Dei et perfectiori hominis notione: utramque vero Mosaismus exhibuit. Deum enim docet omnipotentem esse, omnis vitae

82) Quantopere Judaei studuerint, Mosis exitum augustiorem facere, jam ex Jos. Ant. IV, 8. 48. intelligi potest. Ipse tamen Josephus eam, quam supra commemoravimus, loci Deut. 32, 50. interpretationem procul habet. Distinguit enim suam narrationem a loci illius sententia: „*ἔγραψε* (sc. Moses) *δ'αὐτόν ἐν ταῖς ἱεραῖς βίβλοις τεθνεῶτα, δείσας, μὴ δι' ὑπερβολὴν τῆς περὶ αὐτὸν ἀρετῆς πρὸς τὸ θεῖον αὐτὸν ἀναχωρῆσαι τολμήσωσιν εἰπεῖν.*" — Posteriorum Judaeorum fabulae de morte Mosis enarratae sunt in libro rabbinico *de vita et morte Mosis*, quem ex Gilberti latina interpretatione iterum edidit Gfrörer in proph. vet. pseudepigr. p. 361.

83) Judaeos theologos etiam resurrectionem mortuorum ex Pentateucho comprobare conatos esse constat; quid? affirmant, doctrinam de resurrectione ita esse unum ex fundamentis legis, ut si quis, quamvis ipsi omnino de illa persuasum sit, tamen negaverit, eam esse ex lege, infidelis instar habendus sit. (Cf. *Mos. Maim. praef. ad tract. Sanh.* C. 10 [al. 11], *Porta Mosis ed. Pocock* p. 157 et praesertim verba *R. Judae Zabarae* apud *Pocockium in not. misc. ad port. Mos* p. 98). Concesserunt tamen, hanc doctrinam fuisse in mysteriis legis, quae nisi a prudentibus erui non possent (cf. praesertim verba *R. Bechai* apud *Eisenmengerum*, *entd. Judenth.* T. II. p. 891 sq.). — Multa argumenta, quae subtilitatem mere rabbinicam redolent, collecta reperies in *Excerptis Gemarae*, quae *J. Coch* tractatibus *Sanhedrin* et *Maccoth* a se editis (1629) annexuit (p. 305 sq.), apud *Wetsteinium* (ad. Matth. 22, 32) et in *Dassovii* סוד תחיית המתים Viteb. 1675. p. 4 sq. Quaedam non plane contemnenda sunt, e. g. quae ex Deut. 32, 39. Exod. 6, 4. Deut. 11, 21. repetuntur. Sed multum in eo errant, quod quae dogmatis de resurrectione quasi semina sunt, pro ipsius dogmatis indiciis habent.

fontem, omnium spirituum auctorem Num. 16, 22., atque eum, qui et interficere et vivos reddere valeat Deut. 33, 39 [84]). Quacum Dei notione quam apte, quae prophetae de mortuis in vitam redituris vaticinantur, cohaereant, proxima hujus disputationis parte perspicuum fiet. — Nec minus, quae homini Mosaismus tribuit, mentem ad sublimiorem quandam spem et scientiam poterant praeparare. Etenim homo ad Dei similitudinem creatus et in tam alto dignitatis gradu positus, ut Deus sanctissimis foederibus eum secum conjunxerit, num hac lege natus esse potest, ut, ubi hac brevi vita terrestri excessit, omnis ejus vita, quae vere vita nominanda est, confecta sit atque absoluta? Quid? Patriarchae, quos Deus ita dilexit, ut eorum causa populum Israëliticum ex humano genere electum beneficiis cumularet, num iisdem finibus vim et efficacitatem, quibus vitam terrestrem terminaverunt? Tum vero quomodo fieri poterit, ut posteritas, ad quam ipsi pertinent, ad ipsos non pertineat, et ut eorum, quae propter ipsos in posteros collata sunt, beneficiorum ipsi sint exsortes? — Hinc intelligitur, quid sibi velint illa, quae Sadducaeis mortuos in vitam redituros esse negantibus et omnino opinantibus, animam hominis cum corpore interire, Jesus ex Exod. 3, 6. opponit (Matth. 22, 31. Luc. 20, 38). Quodsi Deus diu post mortem Abrahami, Isaaci et Jacobi se Deum illorum nuncupat, perspicuum est, illos etiamtum Deo (cum verbis αὐτῷ ζῶσιν Luc. 20, 38. cf. Rom. 6, 10) vixisse, i. e. etiamtum cum Deo conjunctos et eos fuisse, ad quos cura divina et regni divini consilia pertinerent [85]).

---

84) Ex hoc loco Tract. Sanh. 90. resurrectionem mortuorum ita probare vult: מה מחיצה ורפואה באחד אף מיתה וחיים באחד.

85) At quomodo hac sententia resurrectio mortuorum comprobabitur? Res facile enodatur, si consideraveris, regnum divinum omnino terrestre esse. Ita igitur ratiocinandum videtur: si etiamnunc patres Deo vivunt et ad eos regnum divinum pertinet, necesse est, et ipsos posterorum instar consummati regni divini beneficiorum participes fieri; quod nisi in vitam terrestrem redierint, omnino fieri non potest; ergo ex mortuis patres suscitatum iri necesse est. — Jam intelliges, quatenus vera sint, quae Judaei ex Ex. 6, 4 et Deut. 11, 21. argumentati sunt. Cf. Cochii exc. Gem. in Sanh. p. 306 sq. „*Tradit* R. Simai: *quo loco astruit lex res. mort.? Q. d. „atque etiam constabilivi foedus meum cum ipsis, ut dem ipsis terram Canaan.*“ Non enim dicitur vobis, sed ipsis.“ Ibidem R. Gamaliel Sadducaeos confutavisse dicitur ex Deut. 11, 21. „*quam juravit dominus patribus vestris*

4) Explorata quidem haec omnia ipsis veteribus Israëlitis non erant. Sed hoc intelligitur, cur fieri non potuerit, ut Israëlitica religio in iis, quae Mosaismus de rebus post mortem futuris statuerat, consisteret, neque ad pleniorem veritatis lucem progrederetur. Progressio autem duabus viis facta est. Prophetia veteris Testamenti, quamquam (ut jam in superioribus demonstratum est) in Mosaismi de inferis sententia ita manebat, ut eam tantummodo explicaret et confirmaret, simul tamen divino spiritu illustrata eo pervenit, ut mortuos ab inferis in vitam revocatum iri pronunciaret. Hebraeorum autem mens in pia meditatione defixa et ipsa annixa est, ut caliginem sepulcra et inferos tegentem dispelleret. Et quamquam ad superandam omnem dubitationem et obscuritatem illa sola non suffecit, neque spem gignere valuit, quae animos certos ac confirmatos redderet, tamen piorum cum Deo conjunctionem sempiternam fore nec morte dissolvendam, feliciter est augurata. Quae omnia in altera et tertia hujus disputationis parte exponentur.

II.

Totius, quae Vet. Testamento continetur, prophetiae hoc est consilium, ut regni divini, quod in terris est, ordinem ac decursum illustret, fatorumque ejus arcana patefaciat. Sunt igitur, quae prophetae de mortuorum resurrectione docent, conjuncta cum praedictione rerum in regno divino terrestri eventurarum. Quod perspicuum fiet, ubi primum, a quibus principiis illa doctrina exordium duxerit, exposuerimus.

A.

Omnis prophetia — quid? universa sacra scriptura et Veterit et Novi Testamenti in hoc consentit, quod populi Israëlitici,

---

se daturum illis — *non vobis sed illis.*" Maxime memorabile videtur, quod R. Menasse b. Isr. ex Exod. 3, 6. traxit argumentum (vid. Wetstein ad Matth. 22, 32). Sed verba ejus cum sermone Christi ita consentiunt, ut recte judicare videantur, qui illa ex hoc depromta *esse censent.*

in quo Deus regnum suum fundavit, aeternitatem testatur. Quantumvis populus ille foedus cum Deo initum violaverit, tamen Dei fides manet inconcussa. Is, populum quem ex terrae gentibus elegit et ab humili loco ad summam dignitatem evexit (Ex. 20, 5. Ezech. 16, 6 sq. et al.), ad tempus quidem, rupti foederis poenas expetiturus, rejiciet et dignitate sua deturbabit, sed nunquam plane abjicere potest. Immo vero ex incommutabili divina lege Israëlis pars residua, ubi post poenas datas ad Deum revertit, in pristinam locum restituta et Deo denuo consecrata novo splendore inter terrae gentes ornabitur (Lev. 26, 40 sq. Deut. 30, 1 sq. 32, 36 sq. Jes. 6, 13 et al. coll. Rom. 11, 25 sq.). Nam in aeternum et post hujus coeli terraeque ruinam duraturum est foedus a Deo cum Israële factum (Jes. 51, 6. 66, 2. coll. Ps. 102, 27—29).

Illam vero populi Israëlitici restitutionem futuram prophetae nonnunquam ita describunt, ut populum mortuum ad novam vitam suscitatum iri dicant. Huc primum pertinent Hoseae 6, 1. 2. et praesertim 13, 14. Priori loco populus loquens inducitur: „*agite, redeamus ad Jehovam, nam ille laceravit et nos obligabit.* In vitam nos revocabit post biduum, tertio die (i. e. brevi tempore) nos suscitabit, ut vivamus coram eo.“ Quae verba quid significent, facile intelligetur, ubi meminerimus, qua ratione Vet. Testamentum vitam beatam (חַיִּים) informaverit (vid. I. D. 1.) Vitam, quae vere vita nominanda est, degit Israel, ubi propitii Dei praesentia et beneficiis gaudet; idcirco mors Israëlis (cf. 13, 1) est miseria, in qua populus propter ruptum foedus divinum versatur, quum a societate, quae ipsi cum Deo fuerat, exclusus et beneficiorum divinorum fructu privatus est (2, 11 sq. 9, 2 et al.), maxime quum, quae poenarum est ultima, pulsus patriâ, regni divini sede (*terrâ, domo Jehovae* 9, 3. 15), alienis gentibus servit. At revixit populus, ubi expiato ei et in Dei clementiam recepto illa omnia restituta sunt (cf. Ps. 85, 7). — Quae autem Hos. 6, 1. 2. populus frustra sperat, ea 13, 12 sq. Deus se efficere et exsequi posse testatur. Cujus loci ab interpretibus diverso modo explicati haec mihi sententia esse videtur. Propheta v. 12 sq. graviter castigat securitatem populi, qui quamvis miseria pressus peccare per-

gat [86]). „*Colligata* (i. e. nondum expiata, adhuc poenae obnoxia [87]) *est culpa Ephraimi, asservatum ejus peccatum. Dolores parturientis veniunt ei; est ille filius insipiens, quoniam, quum tempus sit* [88]) (sc. pariendi), *non intrat in os uteri.*" — Doloribus parturientis significantur miseriae, inter quas populus imminens rerum discrimen anxie exspectat (cf. Jes. 26, 17. Mich. 4, 9). Quibus hoc voluit Deus effici, ut ex populo impio novus melior partus ederetur. Sed Israël non resipivit, et ad Deum reverti moratur. In ipso igitur haeret retardatae salutis culpa. Alioqui Deus sane potestatem habet Israëlem restituendi. v. 14 „Ex potestate Orci servabo eos, a morte eos redimam; ubi pestes tuae mors, ubi lues tua Orce!" Cujus redemtionis quum tempus adest, *poenitentia remota erit ab oculis meis*" (h. e. immutabilis stabit Dei sententia). — Animadvertendum est diligenter, causam, cur Deus emortuum populum ad vitam revocare possit, ex eo repeti, quod ille omnino morti et Orco im-

86) Sic recte Ph. D. Burk (Gnom. in proph. min.): „*protestatio Dei seria adversus securam Ephraimitarum praesumtionem, ut si peccati nullus apud Deum sensus esset, neque ulla apud hominem sollicitudine opus foret.*"

87) Verborum sententia eadem est, quae 9, 9. exprimitur יזכר עונם יפקד חטאותם. Longe secus interpretatur Umbreit (pract. Comm. üb. d. kl. Proph.): „*Die Stimme des Zorns verhallt, und das liebliche Wort der Gnade wird vernommen. Die Schuld von Ephraim soll nun für immer vergessen seyn.*" Concedo, verba ita intelligi posse (cf. Dan. 9, 24., ubi similibus locutionibus חתם חטאות et פשע כלא peccatorum abolitio significatur). Sed nostra explicatio defenditur locis Job. 14, 17. Deut. 32, 34.

88) Cf. Ps. 102, 14, ubi verbis כִּי עֵת respondent כִּי בָא מוֹעֵד. — Umbreit interpretatur: est filius insipiens, quoniam justum tempus in uteri ore non manebat. „*Der Prophet verlässt hier das ganze Volk, das er eben erst als Gebärerin aufgefasst, um schnell die Einzelnen mit unverständigen Kindern zu vergleichen, die durch eine zu sehr beschleunigte Geburt der Mutter Gefahr bringen. Der Mensch soll sich nicht voreilig selbst helfen wollen, sondern geduldig auf die Stunde harren, die Gott zu seiner Erlösung geordnet.*" Quae sententia ad orationis contextum non est accommodata. Etenim non impatientiam, quae divinum auxilium justo citius maturare velit, sed socordiam et contumaciam populi, ne summa quidem miseria fractam, propheta v. 2. et 9. accusavit.

peret. Sic locus noster clarius, quam Deut. 32, 39 testatur, in morte et in inferis non eam esse vim necessitatis, quam Dei numen, cui parent omnia, frangere nequeat. Potest igitur Deus mortuos ex inferis in vitam revocare. — Cf., quae 1 Sam. 2, 6 declarantur, *Jehovam et interficere et vivos facere, deducere ad inferos et educere;* de cujus loci sententia noli cum Thenio, (qui Ps. 30, 3. 4. comparavit), aliquid detrahere, quippe quae iis, quae 1 Reg. 17, 21 sq., 2 Reg. 4, 32 sq. narrata sunt, plane confirmetur [89]).

Quae Hoseae dicto continetur sententia, eandem expressam reperimus apud Ezechielem (c. 37) in celeberrima illa ossium mortuorum et reviviscentium visione. Populus Israëliticus in exsilii miseria de salute desperans comparatur cum ossibus aridis, quae in vitam restitutum iri nemo crediderit. Sed quemadmodum propheta jussu Jehovae et vi spiritus divini ossa carne obducta et reviviscentia cernit, ita Jehova populum emortuum ad novam vitam suscitabit et in patriam eum restituet. Quae visionis sententia quum v. 14 evidenter indicata sit, erraverunt, qui hoc loco promissum censebant, ipsos mortuos Israëlitas ex Orco in vitam terrestrem revocatum iri. Noli tamen opinari, meram allegoriam hic propositam esse [90]); sed ita vult propheta populum ratiocinari: quum Deo potestas sit emortua ossa in vitam revocandi, pro certo habendum est, eundem non carere vi ac potestate, Israëlem, quamvis ultima miseria pressum in meliorem statum restituendi. Ita hoc quoque loco affirmatur, Deum mor-

---

89) Verba Hannae repetuntur Sap. 16, 13: „σὺ ζωῆς καὶ θανάτου ἐξουσίαν ἔχεις, καὶ κατάγεις εἰς πύλας ᾅδου καὶ ἀνάγεις“ — ubi ex v. 14 cernitur, sententiam proprie intelligendam esse.

90) Bene Haevernick (Comm. in Ezech. p. 582): „*Der Zweck einer bloss bildlichen Darstellung ist hier gar nicht evident. Man kann nicht sagen, dass die Vorstellung der Todtenerweckung zu einer deutlicheren Erklärung und Veranschaulichung der Sache dienen solle. Ebensowenig konnte in dem blossen Bilde ein besonderer Trost für Israel liegen. Vielmehr musste darnach das Werk seines Heils ihm als etwas noch schwierigeres und unerreichbareres erscheinen, und seiner Fassungskraft noch ferner gerückt werden.*“ Cf., quae *Tertullianus* in libro de resurr. carn. C. 30. de loco nostro disserit: „*de vacuo similitudo non competit; de nullo parabola non convenit* etc.“ Sed idem errat, imaginem, qua, quod Deus facere possit, significatur, ita interpretans, quasi indicet, quid Deus facturus sit.

tuos in vitam revocare posse; eundem autem mortuos ex inferis in vitam revocare velle et aliquando revera revocaturum esse, haec scientia alia via excitata est et confirmata.

B.

1) Beato illo aevo, in cujus laetam descriptionem omnis fere prophetia decurrit, quum omnia, quibuscum regno divino decertandum erat, hostilia prostrata jacebunt, tum, quaecunque mala hominum vitam ullo modo conturbare possunt, ex civitate Dei cum peccato erunt sublata. Id ad mortem quoque, quod est malorum summum, pertinere necesse est; nam quomodo fieri poterit, ut alia quidem, quae a peccato orta sunt, ex rerum natura deleantur (vid. e. g. Jes. 11, 5—7 coll. Gen. 3, 15), mors ipsa autem, quae est peccati poena (I, B), inter expiatos homines dominari non desinat. Exstat quidem Jes. 65, 17 sq. illius futurae aetatis adumbratio, in qua subitae tantum et immaturae mortis abolitio ac vitae longitudinis, qualis patriarcharum fuerat, restitutio promittitur. Inter eos, qui novae civitati Dei ascripti sint, ait propheta v. 20 sq., *non repertum iri infantem post paucorum dierum vitam absumtum, neque senem, qui justam vitae mensuram non compleverit. Qui centesimum annum agens mortuus sit, pro adolescentulo habitum iri, et cui ut improbo maledictum fuerit, eum centum annorum aetatem assecutum esse. Arborum instar illorum hominum vitam duraturam esse etc.* (cf. Sach. 8, 4). — Sed hac promissione satis non est factum spei futurae salutis, ut quae, nisi morte funditus exstincta, omnibus numeris absoluta haberi non possit. Id vero declaratum est Jes. 25, 8., ubi promittitur, venturae salutis tempore *Deum mortem in perpetuum exstincturum et lacrymas ab omni facie absterssurum esse* [91]).

2) Hanc autem promissionem etiam ad mortuos pios Israëlitas pertinere necesse est, ut firmum ratumque maneat, quod universum Vet. Testamentum de divina pietatis remuneratione sanxit. Ut enim lege Mosaisa declaratur, justos justitiae fructum percepturos esse, ita prophetae etiam atque etiam affirmant, inter

---

91) Perperam nonnulli judicaverunt, prophetam hoc loco tantummodo vel de caedium ac bellorum fine, vel de vitae hominum illo tempore natorum diuturnitate loqui.

maximas calamitates, quas Deus judicium exerciturus populo infligat, neminem nisi malos periturum esse, pios vero iri servatum (Am. 9, 9. Hab. 2, 4 et al. cf. Prov. 11, 4); eandemque sententiam contra eos, qui Dei justitiam in dubium vocare audent, acriter defendunt (Ezech. C. 18. coll. 14, 14. 16. 20. et al. Jerem. 31, 29 sq. 32, 19 sq.). Quapropter Ezechiel in augusta illa visione, qua populi exitium describitur (C. 9), justos impresso signo ab impiis separatos et ab interitu servatos cernit. — Verum cum hac promissione saepissime pugnare videtur eventus. Nam pernicie, qua improbus populus consumitur, implicantur et insontes (Ezech. 21, 1—9. [20, 45—21, 3]). Communis pestis in pios ipsos redundat, qui eam depellere pro virili parte studuerunt. Quomodo igitur in his divina promissa rata fient, quum pios in Orco nullus pietatis fructus, nulla malorum terrestrium et injuriarum acceptarum compensatio, sed eadem atque improbos tristis conditio maneat. — Hoc quidem piis solatii propositum est, quod interemti ex vitae turbis servantur et ad pacem aerumnarumque requietem veniunt, ita ut iis non erepta a Deo vita, sed donata mors esse videatur. Saltem hoc monet propheta Jes. 57, 1. 2: *justus perit, nec est qui curet, pii absumuntur nemine considerante, e conspectu malorum* (h. e. ut mala effugeret) *absumtum esse justum*[92]). *Venit ad pacem; requiescunt in cubilibus suis, qui recta incesserunt.*" — Sed ita nodus ipse non expeditur, nec tollitur suspicio, Deum in fide data non stetisse, et promissa, quibus pii confisi essent, irrita esse. Quod quum fieri nequeat, alia quadam via divinae justitiae et sanctae remunerationis legi satisfieri necesse est. In hac scilicet terra, ubi justi aerumnas perpessi et in improborum strage simul profligati sunt, quamquam constantem divinis promissis fidem habuerant et Israëlis redemtionem exspectaverant, — in hac, inquam, terra justitiae fructum eos percepturos esse necesse est. Id vero fiet, quum illo die, qui regni divini decursum absolvit, ex inferis in vitam terrestrem revocati erunt.

---

92) Haec verborum כי מפני הרעה נאסף הצדיק explicatio ad ea, quae in proximo versiculo sequuntur, accommodatissima est. Alii aliter, e. g. Umbreit: „*Keiner achtet darauf, dass ob der Bosheit hinweggerafft wird der Gerechte, d. h. als Opfer boshafter Verfolgung.*"

C.

Hac ratione spem resurrectionis mortuorum futurae excitatam esse, maxime perspicuum fit ex prophetica oratione Jes. C. 26. In quo capite sententiarum ordo hic esse videtur. Carmine, quod propheta redemtum et restitutum Israëlem canentem facit (v. 1—7), celebratur Deus, quod prostratis regni sui hostibus declaraverit, se omnes, qui ipsius tutela confisi sint, servare et justorum viam complanare. Quod prophetae praesentis temporis, quo laeta illa nondum evenerunt, miseriam in memoriam revocat. Itaque precibus ad Deum conversus exponit (v. 8 sq.), quanto desiderio ipse cum populo divina judicia exspectet, ut tandem justitiam discant mundi incolae, et exoptata salus, quam solus Deus largiri possit (v. 12), populo obtingat. Tum propheta ita pergit: v. 13 *„Jehova Deus, imperaverunt nobis domini praeter te; tantum in te praedicabimus nomen tuum;“* h. e. populus constitetur, se antehac aliis Diis serviisse, jam vero se Jehovam solum invocare affirmat. Deletum esse (v. 14) illud, quod alienos Deos coluerit, Israëlitarum genus, nec unquam in vitam rediturum esse [93]). *„Mortui non vivent, Manes non resurgent, nam in*

93) Ita sententiarum nexum explicavit Hitzig, cui assentior. Concedo tamen, eam quoque interpretationem haud ineptam esse, quae verba in v. 13. a. et v. 14 ad barbaros refert, qui populo imperaverint, jam vero deleti sint. Sic e. g. Knobel: *„Zwar haben uns beherrscht fremde Herren (die Chaldäer), denen du, unser Herr, uns überlassen hattest; aber durch dich preisen wir deinen Namen, d. h. durch dich sind wir von den fremden Herren befreit, und zu den jetzigen Lob- und Dankliedern veranlasst worden. Diese Danklieder können wir um so freudiger anstimmen, da wir für die Zukunft nichts zu fürchten haben. Denn die Todten werden nicht lebendig und die Schatten erstehen nicht, d. h. die gefallenen Zwingherren stehen nicht wieder auf, so dass neue Bedrückung zu fürchten wäre.“* — Futilia autem sunt, quae Knobel Hitzigio opponit: *„Die Stelle auf die früher verstorbenen Israeliten zu beziehen, geht nicht an a) weil Jehova den Israeliten nicht* כל־זכר *tilgen wollte und auch nicht getilgt hat;* — immo eorum Israëlitarum, qui ad peregrinos Deos descivissent, et improborum omnino memoriam Jehovam exstincturum esse, Vet. Testamentum saepissime testatur; cf. praesertim Ps. 34, 17. — *b) „weil der Verfasser, welcher V.* 19 *selbst Sehnsucht nach den wieder zu belebenden Todten äussert, so nicht mahnen konnte.“*

hoc (sc. ne reviviscerent) *delevisti illos et exstinxisti omnem memoriam.*" Nihilominus Deus populum augebit et terrae fines dilatabit (v. 15) [94]). Ad eum igitur populus in miseria supplex se convertit (v. 16). Sed adhuc perfecta salus desolatae patriae non est exorta, necdum nati sunt incolae terrae (v. 17. 18). Hinc vox erumpit: „*utinam vivant mortui tui* — (quod haud dubie imprimis pertinet ad illos הרוגים, qui v. 21 commemorantur), *cadavera mea resurgant!*" — quae vota illico transeunt in laetam vaticinationem: expergiscimini et exsultate, qui in pulvere habitatis, quia ros lucis [95]) est ros tuus, et terra manes pariet" (v. 19). Haec dum brevi sint eventura, populus exspectet, et quietum se teneat, donec transiverit judicium, quo Deus insontium sanguinis fusi poenas est expetiturus [96]).

Perperam nonnulli judicaverunt, quae v. 19 dicta sint, per translationem esse intelligenda, prophetam non de mortuorum reditu in vitam, sed de exsulum reditu in patriam et de novo civitatis Israëliticae flore cogitasse. Quae interpretatio quam inepta sit, facile cognosces, si oppositam sententiam v. 14 per eandem translationem interpretari tentaveris. Quodsi vero in v. 14 vocibus מתים et רפאים revera mortui significantur, mira sane opinio est, in v. 19 prophetam iisdem vocibus Judaeos inter exte-

---

At improbos Israëlitas in vitam redire, propheta non desiderat, sed eos, qui insontes erant interemti v. 21.

94) Quae ratio inter v. 14 et 15 intercedat, bene Ewald (in comm. ad l.) ita explicavit: „*Der Prophet stellt zwar zunächst V.* 14 *den Satz auf, dass man sich um vergangene Zeiten, um Todte, die doch nicht wieder aufstehen, also auch um die eben wegen ihrer Sünden vertilgten älteren Israeliten nicht grämen dürfe. Aber daneben bleibt doch auch die prophetische Wahrheit, dass Jahve der ewige Mehrer des Volkes sei, auf den das verringerte, geschwächte Volk immer hoffen müsse.*"

95) Sic *Vulg.* et ex recentioribus Umbreit, qui recte ita censet: „*Es liegt ja dem Morgenländer so nahe, die belebende Kraft des Himmels als Thau und Licht anzuschauen, dass die Verbindung dieser beiden Lebenselemente zu einem Begriffe wunderbarer höchster Belebung als höchst natürlich erscheint.*" — Al.: *ros plantarum.*

96) Verba v. 21 etc. וגלתה הארץ cum Hitzigio et ipsa ad mortuorum resurrectionem referenda videntur. „*Alle diese Erschlagenen klagen jetzt wieder in's Leben gerufen ihre Mörder an.*"

ras nationes dispersos et a barbaris oppressos significavisse. — Hoc vero diligenter animadvertendum est, prophetam tantummodo justorum Israëlitarum, qui communi populi strage interemti essent, resurrectionem praedixisse; improbos, qui ab Jehova ad peregrinorum Deorum cultum descivissent, in vitam non esseredituros, declarat v. 14., siquidem recta est, quam supra proposuimus, ejus versiculi interpretatio.

Absolutam denique Vet. Testamenti sententiam de mortuorum resurrectione cernimus in Dan. C. 12, 1 sq. Propheta, postquam declaravit, ingentes fore miserias, quales ex omni hominum memoria nullae fuerint, ita vaticinatur: „*illo tempore servabitur populus tuus, quicunque in libro* (vitae) *consignati reperiuntur. Et multi ex iis, qui in terrae pulvere dormiunt, expergiscentur* [97]), *alii ad vitam aeternam, alii in contumelias atque in aeternam ignominiam. Et sapientes splendebunt ut splendor coeli, et qui multos justos reddiderunt, siderum instar in aeternum.*“ — Quae hoc loco de mortuis in vitam redituris dicta sunt, ea nequaquam improprie intelligenda esse, apparet ex V. 13., ubi Danielem angelus ita affatur: „*tu vero perge ad finem* (vitae); *requiesces et surges ad sortem tuam sub finem dierum*“ [98]).

97) Diversae hujus loci exsistunt sententiae, prout verba מישני אדמת עפר aut cum רבים (ut מן sit partitivum), aut cum יקיצו conjunxeris. Illud commodius videtur; hoc vere placuit Masorethis et inter recentiores *Hofmanno* (Weissagung u. Erf. T. 1. p. 314), qui Graecum ἐγείρεσθαι ἐκ νεκρῶν conferri jubet. Tum רבים non partem quandam mortuorum, sed infinitam multitudinem (cf. ap. Ezech. 37, 10. verba חיל גדול מאד מאד) significat. Sed ne ita quidem asseverare licet, quod Calvinus dixit et Haevernick (Comm. in Dan. p. 508) probavit: „*multos hic ponit pro omnibus, ut certum est. Neque haec locutio debet nobis videri absurda. Non enim rabbim opponit angelus omnibus vel paucis, sed opponit uni.*“ — Quod valet in Rom. 5, 15. 19., sed quomodo huc pertineat, equidem non intelligo.

98) Veruntamen ne inter recentiores quidem ii defuerunt, qui locum per translationem explicandum esse opinarentur. Suffecerit unum ejus interpretationis specimen afferre. Ziegler (theol. Abh. T. II. p. 219) verba ita explicat: „*Der Ausdruck im Erdenstaube schlummern drückt bloss eine lange qualvolle Existenz aus, und daraus erwachen bedeutet daraus gerettet werden. Der 13te Vers heisst eigentlich so: du gehe deinem Lebensende ruhig entgegen, und bleibe deinem Berufe treu bis an's Ende der Tage*“ *(!!)*.

Hunc Danielis locum si cum iis, quae Jes. C. 26. pronunciata sunt, comparaveris, primum apparebit utriusque loci consensus. Justi et sapientes, quos Dan. 12, 3. ad vitam aeternam suscitatum iri declarat, comparandi sunt illis הרוגים, qui Jes. 26, 21 commemorantur. Nam Daniel illo nomine ornavit eos, qui (vid. 11, 33.) ob fidem, quam in plurimorum defectione incolumem servaverant, gladio et igne, captivitate et rapina ceciderunt. His fidei inter persecutiones servatae praemium promittit. — Omnes pios Israëlitas in vitam redituros esse, neque Dan. C. 12., neque Jes. C. 26. est enunciatum; atque ea est utriusque vaticinationis ratio, ut de omnibus mortuis Israëlitis aliquid praedicendi omnino nulla occasio fuerit. Facile autem prophetarum sententia ita potuit amplificari, ut omnes mortui pii Israëlitae in vitam terrestrem redituri crederentur.

In hoc autem Danielis dictum a Jes. C. 26 differt, quod improborum resurrectionis praedictio additur; quae tamen, ut universi loci ratio docet, et ipsa tantummodo ad Israëlitas referenda est, eos scilicet, qui 11, 32. מרשיעי ברית dicuntur. De ethnicorum vel omnino omnium mortuorum resurrectione neque in libro Danielis, neque ullo alio Vet. Testamenti loco agitur [99]). Immo vero Jeremias (51, 39. 57.) de Chaldaeis morti traditis dicit, eos aeternum somnum dormire, neque expergefactum iri [100]).

---

99) Qui, quum duplicem mortuorum resurrectionem statuant, Danielem de priori loquentem faciunt, ex Novo Testamento Danieli sententiam obtrudunt a Vet. Testamento prorsus alienam.

100) Quod Jes. 24, 22. enuntiatum est, reges gentium in carcere inclusos multo post a Deo visitatum iri, id, quoquo modo obscure dictum interpretatus eris, ad reditum illorum in vitam terrestrem vix referri poterit; quamvis non dubitem, quin בור h. l. non carcerem, in quem quis ab hominibus traditur, sed Orcum (ut saepe, vid. I. C. 1.) significet. (Etenim, quae v. 22. dicta sunt, non tantum ad reges terrae, sed etiam ad צבא המרום i. e. angelos vel Deos tutelares referenda videntur, qui in hominum carceribus includi non poterant). De visitatione animarum cogitandum est, sed de quali, dubitare licet, nam duplex exstat versiculi interpretatio. Si יפקדו ita explicaveris, quasi scriptum sit יִפָּקֵד עֲלֵיהֶם, legem grammaticam migrabis; sin autem (cum Hitzigio et Ewaldo) vocem פקד in bonam partem acceperis, sententia exsistet, quae hoc loco mira videtur, illos scilicet reges, regni divini

Qua ratione resurrectio mortuorum fiat, ex Ezech. 37, 14. colligi potest. Sunt tamen, quae de hac re disputari possunt, jam supra (I. C. 3.) dicta.

Quae conditio hominum ex inferis in vitam revocatorum futura sit, Daniel paucis significat. Piis, quibus vita aeterna obtingit, corpora ad siderum splendorem transformata tribuuntur (12, 3. cf. Matth. 13, 43). Ii contra, qui inter persecutiones a Deo defecerunt, suscitabuntur לחרפות לדראון עולם. Quod illustrari potest ex Jes. 66, 24., unde Daniel vocem דראון, alias in Vet. Test. non usitatam, traxisse videtur. Loquitur et ille Jesajanus locus de impiis Israëlitis, qui a Deo desciverant (cf. v. 17 [101]), neque vero de iis, qui ab inferis suscitati sunt [102]), sed de in-

---

hostes, quos Deus de dignitate deturbavit, in ejus gratiam postremo receptum iri. Equidem malim, quamquam invitus, cum Umbreitio et aliis verbo פקד eandem, quam in v. 21 habuit, vim tribuere. Tum propheta dicit, reges illos in Orco inclusos teneri, non ut poenas luant, sed ut tanquam in custodia asserventur usque ad supplicium de iis sumendum (cf. 2 Petr. 2, 4. Jud. v. 6.). (Quale autem illud supplicium futurum sit, ex ipso hoc loco conjici non potest). — Similia liber Henochi pluribus locis pronunciat; cf. praecipue 10, 15 sq. (ex interpret. Hoffmanni): „*Der Herr sprach zu Michael:* — *binde sie* (Samjazam et socios) *für siebenzig Geschlechter unter die Erde, bis auf den Tag des Gerichts und der Vollendung, bis das Gericht, welches für ewig gilt, vollbracht ist. Dann sollen sie hinweggeschafft werden in die untersten Tiefen des Feuers, in die Qualen und in den Kerkern eingeschlossen werden ewiglich.*“

101) Ad ethnicos, qui adversus Israëlem surrexerunt, verba Jesajana transfert lib. Judith 16, 17.

102) Quod opinati sunt multi inter veteres; cf. e. g. Justin. M. apol. I. C. 52., Tertull. de resurr. carn. C. 31. (qui non dubitat verba „*et exibunt* etc.“ ad pios e sepulcro egressos referre), Augustin. civ. D. 20, 21 sq. — Alexandrinus interpres, haud dubie ut loci difficultatem imminueret, verba פגרי האנשים vertit „*τὰ κῶλα τῶν ἀνθρώπων*,“ et eum secutus Augustinus l. c. habet „*membra hominum.*“ Idem addit: „*quidam sane non interpretati sunt membra hominum, sed cadavera virorum, per cadavera significantes evidentem corporum poenam: quamvis cadaver nisi caro exanimis non soleat nuncupari; illa vero animata erunt corpora, alioquin nulla poterunt sentire tormenta: nisi forte, quia mortuorum erunt corpora, id est, eorum qui in secundam mortem cadent, ideo non absurde etiam cadavera dici possunt.*“ — Sed vix est, quod moneam, vocem פגרים *nonnisi corpora exanimata* significare posse, quamquam non omni sensu

teremtis extremo judicio (חללי יהוה v. 16.). Eorum cadavera, ait propheta, extra civitatem Dei prostrata aeternis suppliciis ita cruciatum iri, ut horridum omnibus ac teterrimum spectaculum praebeant. Tali fere modo Daniel sortem impiorum ab inferis suscitatorum informavisse videtur. —

D.

Quamquam Danielis libri apud Judaeos maxima auctoritas erat, et praesertim locus Cap. 12, 1 sq. semper gravissimus habebatur [103]), tamen, quod mirum est, sententia de improborum resurrectione inter Judaeos vulgaris non est facta [104]). — Ex antiquioribus Judaeorum scriptis tantummodo, quod sciam, ea libri Henochi pars, quae omnino multa ex Daniele traxit (C. 37—70) [105]), omnes et bonos et malos ex inferis suscitatum iri perspicue docet C. 50, 1. 2. coll. 60, 6. 7. [106]). In antiquiori

---

carentia. Cf. Dan. 7, 11., ubi propheta corpus (גשם) occisi animalis flammis facit traditum, sane non ut consumeretur, sed ut cruciaretur.

103) „*Utpote qui solus fere sit (teste Maimonide), qui alio torqueri non possit, nec a sensu literali ad allegoriam abstrahi.*" Pocock. not. misc. ad port. Mos. p. 128. — Quamquam et inter Judaeos exstiterunt, qui eum allegorice interpretarentur. vid. Pocock. l. c.

104) Liber Baruchi, qui ex Daniele tam multa sumsit, ut Hitzig (Comm. in Ps. p. 119 sq.) eum libri Danielis auctori assignare non dubitaret, de mortuorum resurrectione omnino silet, quamquam scriptor — quod ex iis, quae de inferis statuit (2, 17. coll. 3, 19) colligi potest, neque sapientiae divinae descriptione in Cap. 3. proposita redarguitur — ab Alexandrinismo alienus fuisse videtur, eique, si mortuorum resurrectionem voluisset commemorare, in Cap. 5. opportunus locus datus erat.

105) C. 37—70. non ab eodem, qui ceteras libri partes scripsit, compositas esse, jam Hoffmann (ad 37, 1. 45, 3.) suspicatus est et Ern. Krieger in libro nuper edito (*Beitr. zur Kritik und Exegese* p. 35 sqq.) satis evidenter demonstravit. Eadem recentiora, nec tamen non Judaicae originis esse, etiam mihi videtur veri simillimum.

106) C. 50, 1. 2. (ex interpretatione Hoffmanni) „*In jenen Tagen soll die Erde ausliefern aus ihrem Schoosse und die Unterwelt aus dem ihrigen das, was sie erhalten hat, und der Abgrund soll wiedergeben das, was er schuldig ist. Er wird ausscheiden die Gerechten und Heiligen aus ihnen, denn der Tag ihrer Erlösung ist herbeikommen.*" — Perspicuum est, scriptorem de omnium et bonorum et malorum reditu ex inferis loqui. Quae quomodo congruant

vero ejus libri parte num piorum resurrectio futura (C. 22, 4.) indicetur, certe dubium est, improbos vero ex mortuorum sedibus unquam evasuros esse, aperte negatur (22, 14) [107]. — Quae secundi Maccabaeorum libri de improborum resurrectione sententia sit, dubitari potest. Nam locis C. 7., C. 12, 43—45. 14, 46., unde colligere solent, scriptorem tantummodo piorum resurrectionem exspectasse, et praecipue Judaei illius, quibus Antiochum 7, 14 affatur, verbis („*αἱρετὸν μεταλλάσσοντας ὑπ' ἀνθρώπων τὰς ὑπὸ τῦ θεῦ προςδοκᾶν ἐλπίδας πάλιν ἀναστήσεσθαι ὑπ' αὐτῦ. Σοὶ μὲν γὰρ ἀνάστασις εἰς ζωὴν ὐκ ἔσται.*“), — iis nequaquam excluditur Danielis sententia, Israëlitas improbos in contumelias atque in aeternam ignominiam suscitatum iri [108]). — Sed hoc certum est, Pharisaeos docuisse, justos tantum, eosque (si Josepho fides habenda est) alio corpore indutos ex inferis in vitam terrestrem redituros esse, malorum autem animas in

---

cum 39, 4 sqq., ubi idem scriptor pios et sanctos post mortem non apud inferos sed in coelo commorantes facit, non liquet. Fortasse hoc loco tantummodo de electis quibusdam sanctis et singulari dignitate ornatis disserit.

107) Ejus, qui hanc libri Henochi partem composuit, sententiâ mortuorum sedes non sunt sub terra, sed in extremis orbis terrarum regionibus occidentalibus (C. 22. coll. C. 17, 5.), ita tamen, ut piorum et impiorum receptacula sint separata. De piis dicitur 22, 4.: „*Die Plätze, in welchen sie wohnen, sollen sie einnehmen bis zum Tage des Gerichts und bis zu ihrer bestimmten Zeit. Ihre bestimmte Zeit wird lang seyn, gerade bis zum grossen Gericht.*“ De impiis dicitur ibid. v. 14. „*Ihre Seelen sollen nicht vernichtet werden am Tage des Gerichts, noch sollen sie auferstehen von diesem Platze.*“ Hoffmann addit: „*Ob auf eigentliche Auferstehung hingedeutet sei, wage ich nicht zu entscheiden.*“ — Nec minus dubium est, num, quae 90, 12. et 91, 13 dicuntur („*erheben wird sich der Gerechte aus dem Schlummer*“), ad piorum resurrectionem referenda sint. — C. 102, 6 sqq., ubi et piorum et impiorum sors futura describitur, resurrectionis nulla mentio fit, immo dicitur 103, 3.: „*leben wird euer Geist, die ihr starbet in Gerechtigkeit,*“ et de improbis ibid. v. 5.: „*und in die Finsterniss und in das Netz und in die Flamme, welche brennen wird zu dem grossen Gericht, wird eingehen ihr Geist.*“

108) Tamen assentiri non possum Hahnio, qui l. c. p. 67. censet 2 Macc. 6, 26. *clarissime* malorum resurrectionem indicari. Nam quod homines ne mortui quidem Deum effugere posse dicuntur, id ad *poenas, quas mali in* Orco daturi sint, referendum videtur.

aeternum in Orco inclusas perpetuis poenis affectum iri [109]). — Eadem ratione inter posteriores Judaeos theologos multos justorum tantum resurrectionem futuram docuisse, apparet ex iis, quae Dassovius (*Judaeorum de resurrect. mort. sent.* p. 33 sqq.), Pococke (*not. misc.* etc. p. 170 sqq.), Eisenmenger (l. c. T. II. p. 904 sqq.) congesserunt. Ad quam sententiam probandam quomodo ipsum Danielis (XII, 2) locum converterint, cognoscere licet ex R. Saadiae interpretatione (Pocock. l. c. p. 38): ורבים מישני אדמת עפר יקיצו זו תהיית מתי ישראל שגורלם לחיי עולם ואלה שלא יקיצו הם עוזבי יי' אשר ירדו לדיוטא התחתונה של גיהנם והיו דראון לכל־בשר: Perspicuum est, Saadiam ultimum versiculi membrum ita ab antecedentibus disjunxisse, ut sententia exsisteret: *alii autem* (sc. in Geenna) *erunt probro* etc. Quae interpretatio, manifesto falsa, num jam apud antiquiores Judaeos occurrat, equidem exploratum non habeo.

---

109) Joseph. Ant. XVIII, 1. § 3. „*Ἀθάνατόν τε ἰσχὺν ταῖς ψυχαῖς πίστις αὐτοῖς εἶναι καὶ ὑπὸ χθονὸς δικαιώσεις τε καὶ τιμὰς, οἷς ἀρετῆς ἢ κακίας ἐπιτήδευσις ἐν τῷ βίῳ γέγονε· καὶ ταῖς μὲν εἱργμὸν ἀΐδιον προστίθεσθαι, ταῖς δὲ ῥαστώνην τȣ̃ ἀναβιȣ̃ν.*“ — Id. bell. jud. II, 8. 14. „*ψυχὴν πᾶσαν μὲν ἄφθαρτον, μεταβαίνειν δὲ εἰς ἕτερον σῶμα τὴν τῶν ἀγαθῶν μόνην, τὴν δὲ φαύλων ἀϊδίῳ τιμωρίᾳ κολάζεσθαι.*“ — Pharisaeos Pythagoricam *μετεμψύχωσιν* statuisse, perperam nonnulli (cf. e. g. Th. Godwin, Moses et Aaron 1694. p. 80. et al.) arbitrati sunt. — Cum Pharisaeorum doctrina noli confundere propriam Josephi sententiam, quam *b. jud.* III, 8. 5. exposuit, quicum loco ea, quae *b. jud.* VII, 8. 7. Eleazarum sicariorum ducem loquentem facit, conjungenda videntur. Haec omnino Graecam sapientiam redolent, quod ipse Josephus b. jud. III, 8. 5. significavit dicens, se in illa oratione philosophatum esse. — Josephus censet, mortale corpus oneri esse animo, tanquam pondus eum in terram detrahens; quamobrem *συμφορὰ τὸ ζῆν ἐστιν ἀνθρώποις ȣ̓χὶ θάνατος* (VII, 8. 7.), quae sententia a genuino Hebraismo est alienissima. Solutus corpore pervenit animus *εἰς τὸν οἰκεῖον καὶ καθαρὸν τόπον* (ibid.), *χῶρον ȣ̓ρανȣ̃ τὸν ἁγιώτατον* (III, 8. 5. Cf., quae Josephus Abrahamum cum Isaaco loquentem facit Ant. 1, 13. 3 fin.) *Ἔνθεν* (ex coelo) *ἐκ περιτροπῆς αἰώνων ἁγνοῖς πάλιν ἀντενοικίζονται σώμασιν.* (Cf. c. Apion. II, 30.). — Quum Josephus ita graecisset, verisimile est, eum, ubi Pharisaeorum sententiam de animis ex Orco in corpora redituris exponit, rem eo modo expressisse, quo Graecorum lectorum animos parum offenderet. Quamobrem, quae Novum Testamentum de Pharisaeorum doctrina tradit, ex Josepho neque redargui, neque corrigi debent.

E.

Quaestionem nostram hactenus ita tractavimus, ut nullam rationem haberemus ejus opinionis, quae apud multos inveteravit, ex Magorum religione doctrinam de resurrectione mortuorum in Vet. Testamentum immigravisse. Quodsi enim ex ipso Vet. Testamento illius doctrinae et ortus et progressus intelligi potest, profecto nihil cogit, ut adventiciam eam existimemus; nos vero in superioribus satis demonstratum putamus, in ipso Vet. Testamento plura inesse, ex quibus ea necessitate quadam apta atque nexa videatur. Ne tamen eorum virorum doctorum, qui originem illius dogmatis aliunde repetunt, temere neglexisse videar, proponam breviter, quid de hac re sentiam.

Ante omnia monendum est, eos, qui ex Zendavestae libris quum multa alia, tum dogma de mortuorum resurrectione in Vet. Testamentum translata esse censent, rem non satis caute tractavisse. Nam quum ipsorum Zendavestae librorum origo et aetas etiamnunc parum explorata, eorundemque interpretatio multifariam incerta sit ac dubia, totam quaestionem, quid Judaei ex iis assumserint, in magna obscuritate versari necesse est. Hoc tamen eorum, qui literas Zendicas ex tenebris in lucem vocare coeperunt, industria et labore jam praesenti tempore effectum videmus, ut ista de antiquissima Zendavestae aetate commenta paulatim evanescant ac magis magisque probabile fiat, nonnulla, in quibus Zendavesta cum Vet. Testamento mirum in modum convenit, non hoc ab illo, sed potius illum ab hoc esse mutuatum [110]). Omnino utut de vaticinationis Jes. C. 24—27. aetate judicaveris, certe, antequam Judaeis cum Persis fuerit commercium, eam conscriptam esse, facile tibi persuadebis.

Alia autem eaque gravior ex iis, quae Movers nuper (in libro *Die Phönicier* T. I.) disputavit, exoritur quaestio, num ab Assyriis, apud quos Magorum disciplina antiquior erat quam apud Persas, Israëlitae spem resurrectionis mortuorum assumse-

110) Huc e. g. spectat Stuhrii (Relig. syst. der Völker des Or. p. 373) de Sosioscho sententia. — In Zendavestae libros, etiamsi multo serius, quam olim putabatur, conscripti sint, plurima tamen ex vetere Magorum religione transiisse, nemo negabit. Sed haec ipsa, nisi ex iis, quae aliunde de Magorum doctrina comperta habemus, vix possunt dijudicari.

rint [111]). Etenim Assyriorum religionem magnum omnino in Phoenicum et Hebraeorum sacra momentum habuisse, ex eo perspicuum est, quod, ut Movers (l. c. p. 65 sqq.) luculenter exposuit, siderum cultus, in quo illa versabatur, inde a seculo octavo a. Chr. inter has gentes ita invaluit, ut pristinam earum idololatriam plane immutaret. Et quamquam siderum ille cultus fidis Jehovae cultoribus, praesertim prophetis non minus impius ac detestabilis videbatur, quam idolorum veneratio (Job. 31, 26—28. Zeph. 1, 5. Jer. 8, 2. Ezech. 8, 15—17. 2 Reg. 17, 16. et al.), tamen — id quod concedo — diuturno, quod Israëlitis cum Assyriis erat, commercio effici potuit, ut, si horum disciplina sacra dogma de mortuorum resurrectione jam antea continebatur, etiam, quae in Israëlitica religione latebant, ejus semina quasi pullularent et ad lucem emergerent. Nam necesse erat excitari piorum Israëlitarum animos, ut et ipsi de mortuorum resurrectione meditarentur eamque in ardentissimis votis haberent (cf. praesertim Job. 14, 14 sq.); sic autem mens praeparabatur, ut divinam de hac re institutionem posset recipere. Etenim ipsa humana vel institutione vel meditatione non potuit gigni illa firma fiducia, qua prophetae mortuos ex inferis suscitatum iri pronunciant: quod ex ipso Jobi libro (14, 12. 19. et al.) cognoscere licet. — Sed illud ipsum, jam antiquos Assyrios magos mortuorum resurrectionem statuisse, valde incertum mihi videtur. Qua de re ut judicari possit, altius eam repeti necesse est.

Universae rerum naturae hanc injunctam cernimus necessitatem, ut vis vitalis, qua mundus sustentatur, semper cum morte quasi luctetur, sed quotiescunque morte oppressa videtur, de integro victrix resurgat. Haec lex naturalis in ethnicorum religionibus variis modis ita est expressa, ut numen divinum ipsum huic

---

111) Movers l. c. p. 70. „*Seit der ersten Berührung der Hebräer mit den Assyrern tauchen — ausser dem Licht und Gestirndienst noch so manche oberasiatische Religionsideen bei ihnen auf, z. B. die unter assyrischem und chaldäischem Einflusse sich entwickelnden Vorstellungen von der Auferstehung der Todten* (Jes. 26, 19. Ezech. 37, 1 sqq.) — *und so manches Andere, was die biblischen Theologen mit dem grössten Unrechte von der Welt erst von einer Bekanntschaft der Hebräer mit den Persern in Babylonien und Mesopotamien herleiteten.*“

vitae et mortis vicissitudini obnoxium faciant [112]). Quod in Sabaeismo ita fit, ut siderum ortu atque obitu, praesertim vero solis annuo anfractu atque reditu Dei vel herois cujusdam mors et in novam vitam reditus repraesentari videatur. **Sol** est ille Magorum antiquus Deus Zoroaster [113]), idem (vid. Clem. Al. Strom. V, 14. ed. Wirc. p. 134, coll. Arnob. adv. Nat, 1, 52) ille Ἠρ, quem Plato (de rep. X. p. 614) duodecimo die, postquam rogo impositus est, revixisse narrat [114]), — idem Phoenicum Hercules invictus, qui tempore brumali ex mortuis resurgit etcet. — Illa autem annua coeli conversione etiam universi mundi ordo ac decursus designatus videbatur [115]). Sic orta est Magorum doctrina de anno mundano, per cujus quatuor aetates Oromasdis et Ahrimani certamen ita decurrat, ut prioribus duabus illius potissimum imperium valeat, deinde vero Ahrimani potestas magis magisque crescat, donec, quum maxime Oromasde superior factus videatur, plane devictus mundo ejiciatur. Tum expletis annorum duodecim millibus novum Oromasdis imperium exorditur, et omnia in eum bonum felicemque statum, unde primitus egressa erant, revocantur [116]).

---

112) Cf. Baur, das manich. Religions-System. 1831. p. 94 sqq.

113) Vid. omnino Movers, Phönicier T. I. p. 348 sqq.

114) Fabulam illam, quamvis Plato ex Pamphylia eam ortam faciat, ad Magorum disciplinam pertinere, nemo mirabitur, qui consideraverit, Assyriae religionis vestigia tota fere Asia minori occurrere (vid. Movers l. c. p. 73 sq.). — Quod pater Eris Armenius (Plutarchus Sympos. IX. q. V. C. 2. nomen perperam immutat in *Harmonium*) dicitur, indicare videtur, hanc fabulam ad Pamphylos migrasse ab Armeniis, qui et ipsi suo Zoroastre gloriabantur (Vid. Arnob. l. c. et quae Hildebrand ad eum annotavit): nisi malis Armenium pro ipso Oromasde habere, cujus filius Zoroaster a Platone in Alcib. I. p. 122. appellatur. (Tum fortasse Ἠρ est ille Mihr, quem Armenii ut solem et Oromasdis filium venerabantur. Vid. Stuhr l. c. p. 454.). — Cetera quoque, quae a Platone l. c. prolata sunt, Magorum disciplinam redolere videntur. Etenim is, quem Plato describit, τόπος δαιμόνιος, inter duas voragines situs, ubi judices sedent, qui post latam sententiam justorum animas sursum in coelum, injustos deorsum mittunt, — vide, annon sit ille pons Tschinevad, ubi Zendavesta de mortuorum animis judicium actum facit. (Kleuker, Anhang z. Zendav. T. I. p. 277 sqq. Stuhr, l. c. p. 368).

115) Vid. Baur l. c. p. 95 sq.

116) Vid. Baur l. c. p. 17 sq. Kleuker Anh. z. Zendav. I, 1.

Quacum doctrina quam apte dogma de mortuorum resurrectione cohaereat, facile intelligitur. Nam quum ex Magorum sententia, quae veterrima putabatur (Pausan. IV, 32.), mortuorum animae non exstinguantur, sed in aeternum maneant, necesse est, ad eas quoque mundi instaurationem pertinere: quod non potest fieri, nisi absoluta seculorum conversione in novam vitam revocabuntur. — Sed jam in antiqua Assyriorum magorum theologia hoc dogma fuisse, nullo testimonio probari potest; nec inter posteriores quidem Chaldaeos, qui sapientiae illorum quasi heredes facti sunt, divulgatum fuisse videtur. Nam Diodorus (Bibl. II, 29—31.), ubi de Chaldaeorum disciplina copiose disserit, nihil omnino commemorat, quod ad resurrectionis dogma ullo modo pertineat; Plutarchus autem eo loco, in quem paulo post inquiremns (de Is. et Osir. C. 47.) tantummodo de Persarum magis loquitur [117]). Quod Chaldaeis in illa universi mundi instauratione gravissimum videbatur, fortasse hoc erat, cuncta

---

p. 137. Hanc de quatuor mundi aetatibus doctrinam inter Magos, quid? omnino inter Arianas, quas vocant, gentes veterrimam fuisse, pluribus indiciis probabile fit; vid. Lassen, ind. Alterthumskunde T. I. p. 529. annot. 1., Ewald, Gesch. des Volkes Isr. T. I. p. 304 sqq. — Diversa est sententia Stuhrii (l. c. p. 362.), qui universum illud dogma a simplici Zendica religione alienam fuisse et demum ex India ad Magos venisse putat. — Utique cognata est Indorum de quatuor Yugis sententia (Man. Dh. S. I, 81 sqq. et al.), quippe quae ex eodem fonte derivata sit.

117) Sententiam de resurrectione mortuorum a Chaldaeis plane alienam fuisse, nolo contendere. Etenim dogma de migratione animarum, quod in posteriorum Chaldaeorum disciplina haud dubie inerat, ita informari potest, ut ab illa sententia non multum differat. Fortasse ex Chaldaeorum theologia depromta sunt, quae Varro (ap. August. de Civ. D. 22, 28.) refert: „*Genethliaci quidam scripserunt, esse in renascendis hominibus quam appellant παλιγγενεσίαν Graeci: hac* (al. *hanc*) *scripserunt confici in annis numero quadringentis quadraginta*, *ut idem corpus et eadem anima, quae fuerint conjuncta in homine aliquando, eadem rursus* (al. *aliquando eandem*) *redeant in conjunctionem.*“ — Quae sententia non est confundenda (id quod Lobeckio, Aglaoph. T. II. p. 797 accidisse videtur) cum ea, quam Olympiodorus ad Plat. Phaed. p. 70. C. ex Orphicis proposuit, animis in corpora remigrantibus saepe fieri, ut, qui olim naturae et affinitatis vinculis conjuncti fuerant, postea aliquando in eandem domum recolligantur ad pristinam conditionem revoluti (vid. Lobeck. l. c.). Quamquam ab hac sententia ad illam facilis erat transitus.

astra ad idem, unde profecta essent, initium esse reditura, coelique eandem descriptionem, quae principio fuisset, restitutum iri. Doctrinam de rerum terrestrium instauratione futura parum excoluisse videntur.

Sed utcunque de hac re judicatum erit, illud tamen pro certo habere licet, etiam eam, quae seculo quarto a. Chr. apud Persarum Magos occurrit, de mortuorum resurrectione sententiam aliqua ex parte diversam fuisse ab illa, quam prophetae proposuerunt.

Ex Theopompo quidem, quo antiquiorem hujus rei auctorem habemus neminem, nihil omnino discimus, nisi Magos statuisse, absoluto hujus mundi decursu homines in vitam eamque beatam redituros esse. — Sunt testimonia ejus, apud Diogenem Laërtium et Plutarchum asservata [118]) ita conjungenda, ut alterum ex altero suppleatur et illustretur. Quae apud Diogenem Laërtium dicit, ea per se subobscura sunt, nec minus ad animorum beatam immortalitatem, quam ad corporum resurrectionem referri possunt [119]). Verum ex iis, quae apud Plutarchum leguntur, probabile fit, Theopompum etiam priori loco de

118) Diog. L. prooem. C. VI. „ὃς (sc. Theopompus) *καὶ ἀναβιώσεσθαι, κατὰ τὺς Μάγυς, φησὶ τὺς ἀνθρώπυς, καὶ ἔσεσθαι ἀθανάτυς.*“ — Plutarch. de Is. et Osir. C. 47. „*Θεόπομπός φησι κατὰ τὺς Μάγυς ἀνὰ μέρος τρισχίλια ἔτη τὸν μὲν κρατεῖν, τὸν δὲ κρατεῖσθαι τῶν θεῶν* (sc. Oromasdis et Ahrimani), *ἄλλα δὲ τρισχίλια μάχεσθαι καὶ πολεμεῖν καὶ ἀναλύειν τὰ τῦ ἑτέρυ τὸν ἕτερον· τέλος δ' ἀπολείπεσθαι τὸν ᾅδην, καὶ τὺς μὲν ἀνθρώπυς εὐδαίμονας ἔσεσθαι, μήτε τροφῆς δεομένυς, μήτε σκιὰν ποιῦντας. Τὸν δὲ ταῦτα μηχανησάμενον θεὸν ἠρεμεῖν καὶ ἀναπαύεσθαι χρόνον, καλῶς μὲν ὐ πολὺν τῷ θεῷ, ὥσπερ ἀνθρώπῳ κοιμωμένῳ μέτριον.*“

119) Zendavesta docet, animos justorum quarto die, postquam ex corpore excesserunt, (fortasse novo aethereo corpore indutas) in sedes beatorum recipi. (Vendidad Farg. XIX. Zendav. ed. Kleuker. T. II. p. 379.). In eandem sententiam verba Theopompi trahit Haevernick comm. in Dan. p. 512 sq. — Adde illud, quod Zendavesta de peccatorum ex Orco reditu statuit. Vid. Zendav. II, 173. (LXV); Fragmente über die Religion des Zoroaster übersetzt etc. von Vullers p. 34. „*Nach dem Zendavesta entleert Ormusd in den Farvardijans oder fünf Ergänzungstagen eines jeden Jahres die Hölle; die eingeschlossenen Seelen werden von Ahrimans Plagen erlöst, wenn sie Busse thun und sich ihrer Sünden schämen, und nehmen eine himmlische Natur an* etc.“ Nemo non videt, vocabulum

rebus loqui, quae absoluto seculorum decursu sint eventurae. Ceterum ne alterius quidem loci sententia plane certa, attamen veri est simile, eo indicari hoc: Hadem defecturum esse (*ἀπολείπεσθαι*), ita ut mortui in eo inclusi reviviscant, eosque, postquam ex Hade suscitati sunt, *εὐδαίμονας ἔσεσθαι* etc. — Sic oritur illa, quam supra protulimus, sententia; qualem autem mortuorum resurrectionem magi informaverint, ex Theopompi verbis cognosci non potest. — Minime vero negligenda sunt, quae Theopompus deinceps dicit, quippe quae doceant, universam Magorum de aevo futuro sententiam plurimum differre ab iis, quae Vet. Testamentum de civitate Dei ventura statuerit. Ait enim, absoluta seculorum conversione *Deum aliquamdiu esse quieturum.* Imitatur scilicet solem, qui tempore brumali, antequam de integro assurgit, dormire videtur. Ex quo intelligitur, illam, quam veteres Magi exspectabant, rerum omnium restitutionem nil esse nisi novi seculorum ordinis, antegresso respondentis, exordium [120]). Longe aliam esse illius, quod prophetae canunt, futuri aevi rationem, nemo est, qui ignoret. Sane illa sententia de numine dormituro cognata est Indorum doctrinae de somno Brahmae. Id ipsum vero indicare videtur, Theopompum perantiquam et genuinam Magorum sententiam retulisse [121]). Immo vero, quae posteriores Persae de futuro aevo beato statuerunt, prophetarum vaticinationibus simillima, ea crediderim non ex vetustis Magorum libris fluxisse, sed ex aliis fontibus, scilicet ex ipso Vet. Testamento hausta fuisse [122]).

ἀναβιῦν, quod Theopompus usurpavit, satis commode ad exprimendam hanc sententiam adhiberi posuisse.

120) Male hunc locum interpretatus est Kleuker, Anh. zum Zendav. II, 3. p. 81. 86. — Baehr recte eum ita vertit: *„Der Gott aber, der dieses bewirkt, verhält sich eine geraume Zeit ruhig, was für einen Gott wohl nicht lange, sondern in gleichem Maasse mit der Schlafzeit eines Menschen ist.“*

121) Aliter judicat Stuhr l. c. p. 362.

122) Jam ea, quae Plutarchus l. c. ipse refert („*τῆς δὲ γῆς ἐπιπέδυ καὶ ὁμαλῆς γενομένης, ἕνα βίον καὶ μίαν πολιτείαν ἀνθρώπων μακαρίων καὶ ὁμογλώσσων ἁπάντων γενέσθαι*“), ab antiqua Magorum de aevo futuro sententia fortasse aliena sunt. — Ve-

Sed ad propositum revertar. Dixi, ex Theopompo cognosci non posse, qualem mortuorum resurrectionem Magi informaverint. Nec quidquam explicatius de hac re reperimus in libro Vendidad, qui plerumque pro antiquissima et gravissima Zendavestae parte habetur [123]). Qui unus de resurrectione agere videtur, locus Farg. XIX, (Zendav. ed. Kleuker T. II, p. 378) omnino nihil docet, nisi omnes puros homines in vitam redituros esse [124]). — Alia autem via, credo, probabile reddi potest, antiquam Magorum de resurrectione sententiam a Vet. Testamento aliqua ex parte discrepasse.

Vetus Testamentum haud dubie statuit, ipsa mortuorum corpora in vitam revocatum iri, (Jes. 26, 19. *cadavera mea resurgant* etc., Dan. 12, 2. *multi ex iis, qui in terrae pulvere dormiunt, expergiscentur* etc.; cf. 2 Macc. 7, 11.): quam senten-

---

teris Testamenti doctrinam de regno Messiano Magis notam fuisse, declaratur iis, quae Matthaeus C. 2. narravit.

123) Vullers l. c. p. 40. ex Revajet Barzu haec affert: „*Vendidad ist der zwanzigste von den* 21 *Nosk der Avesta; nach diesem Buche machen wir und ihr Izeschne. Als man nach Alexander die Sendbücher wieder aufsuchte, fand man unter allen nur diesen einzigen Nosk vollständig.*“ — Stuhr (l. c. p. 342) eum admodum sero conscriptum esse censet.

124) „*Zoroaster fragte Ormuzd und sprach: „Ormuzd, der du alles weisst, werden die reinen Menschen beiderlei Geschlechts wieder auferstehen? Werden die Darvands, Anbeter der Dews, Pfleger der Menschen, wieder aufstehen? Wird man auf der Erde, die Ormuzd geschaffen, Wasser fliessen und Korn wachsen sehen? — Alles, sprach Ormuzd, wird aufstehen und neu leben.*“ — Inter ipsos Parsos (vid. Kleuker, Anh. z. Zendav. I, 1. p. 285) nonnulli arbitrati sunt, hunc locum non ad resurrectionem mortuorum, sed ad ea, quae supra (in annot. 119) exposuimus, referendum esse. Eandem sententiam defendit Haevernick (l. c. p. 515), hanc rationem afferens, quod iis, quae subsequuntur, non resurrectio sed res statim post mortem homini eventurae explicentur. — At verbis „wird man auf der Erde etc.“ satis perspicuum fit, hoc loco de futura rerum omnium instauratione, ad quam et ipsa resurrectio mortuorum pertineat, agi. Ea autem, quae sequuntur, (siquidem seutentiarum nexum recte perspexi) ex rebus statim post mortem eventuris ostendere volunt, cur homines puri sperare debeant, se ad novam vitam suscitatum iri, et cur iisdem Darvandi, quippe quorum animae post mortem deleantur, non amplius sint *metuendi.*

tiam a Magorum disciplina alienam fuisse, ex sepulturae genere, quo illi utebantur, conjici potest. — Israëlitarum moris erat, ut mortuorum corpora humarentur [125]; nec quisquam infitiabitur, cum hoc sepulturae more arctissime cohaerere doctrinam de resurrectione, qualis in Vet. Testamento proposita est. Corpus terrae quasi committitur, ut eo usque illud condat, donec resurrectionis die animae reddendum sit. Magi contra detestabantur cadaverum humationem, quoniam putredine eorum terram, unum ex sacris elementis, centaminari censebant [126]. Ex eorum lege corpora mortuorum in edito loco (*Dakhme*) exponenda erant, ut a bestiis et volucribus laniarentur [127]; ossa reliqua in cavernas mastiche oblitas conjecta lapidibus obruebantur [128]. Hinc pro-

---

125) Accurate hanc rem tractavit Winer, bibl. Realwörterbuch T. I. p. 172 sq.

126) Vendid. Farg. III. (Zendav. T. II. p. 310.) „*Was ist das Zweite, das dieser Erde nicht gefällt? Ormuzd antwortete: wenn in der Erde, die wohl geebnet war, Höhlungen gemacht werden, um sie mit Leichnamen von Hunden oder Menschen auszufüllen, die man alsdann mit Erde zudeckt.*“ Adde praesertim l. c. p. 313 sq. — Cf. Hyde, hist. rel. vet. Pers. p. 406.

127) Vendid. Farg. V. (T. II. p. 323). „*Leichname müssen schlechterdings an einem erhabenen Orte liegen und Dakhmes auf Anhöhen erbaut und dahin alles was zum Todten gehört, getragen werden, damit die Vögel es aufzehren.*“ et al. cf. Herod. I, 140. — Quid? Bardesanes ap. Euseb. praep. evang. VI, 10. (ed. Colon. p. 277) refert: „*οἱ Μῆδοι πάντες τοῖς μετὰ σπȣδῆς τρεφομένοις κυσὶ τȣ̀ς νεκρȣ̀ς ἔτι ἐμπνέοντας παραβάλλȣσι.*“ Cf., quae de Hyrcanis Cicero narrat Tusc. I, 45.

128) Cf. quae Kleuker, Zendav. T. III. p. 257. de Parsis refert. Herodoti verba „*κατακηρώσαντες δὴ ὦν τὸν νέκυν Πέρσαι γῇ κρύπτȣσι*“ illustrantur iis, quae in Vendid. Farg. VIII. (p. 339) jubentur. Cicero, re male intellecta, dicit (l. c.): „*Persae cera circumlitos condunt, ut quam maxume permaneant diuturna corpora.*“ Hoc potius prohibere volebant, ne terra reliquiarum contagione pollueretur. — Ab hoc Magorum more diversa fuit priscorum Persarum sepultura (cf. Zoëga, Abhandlungen p. 108.). Nam illi, quod omnino haud dubie antiquissimum sepulturae genus est (cf. Cic. leg. II, 22), mortuorum corpora humavisse (vid. Xen. Cyrop. VIII, 7. sub fin. — siquidem hujus loci ulla est auctoritas, Herod. VII, 114. et al.) et Magorum morem post demum assumsisse videntur. („*Ξεινικὰ νόμαια Πέρσαι προςίενται ἀνδρῶν μάλιστα*“ Herod. 1, 135.).

babile esse non arbitror, antiquam Magorum de resurrectione sententiam ita, ut Vet. Testamentum eam proponit, fuisse informatam. — In ceteris Zendavestae partibus exstant loci, qui, siquidem Anquetil recte eos interpretatus est, docere videantur, eadem corpora, quae hominum in hac vita fuissent, aliquando in novam vitam revocatum iri [129]). Sed ex his de antiqua Magorum doctrina nihil certi statui potest. Ea vero, quae in libro Bundehesch (C. 31. Zendav. ed. Kleuker T. III. p. 111 sqq.) et in tractatu Ulemaï Islam (Vullers l. c. p. 61 sq.) explicata sunt, a priscorum Magorum disciplina plane aliena videntur.

III.

De ipsorum mortuorum conditione prophetae, ut in superioribus exposuimus, novi quidquam non protulerunt, quo Mosaismi sententia revera superata esset. Jam vero videbimus, quomodo mens piorum Israëlitarum, de rebus divinis meditans, ipsa ulterius progredi tentaverit, atque, ut aeternae vitae spem conciperet, annixa sit.

A.

In Mosaismo multa inerant, quae, quum piorum animis non mediocrem scrupulum injicerent, perfectioris scientiae desiderium in iis non possent non excitare. Quae ad nostram quaestionem pertinent, haec fere sunt.

1) In prima hujus disputationis parte docuimus, quantum dignitatis Mosaismus homini tribuerit. Sed ejusdem hominis, qui ad Dei imaginem creatus, quid? paulo inferior Deo factus est et operum divinorum dominus constitutus (Ps. 8, 5 sqq.), quanta

---

129) Vid. Jzeschne Ha 52. (Zendav. ed. Kleuker T. I. p. 142.) „*Seien sie* (Gahs) *mein reiner Lohn, — jetzt in dieser Welt, und dann, wenn Gebeine und Gelenke sich von neuem zusammenfügen.*“ — Jeschts-Sadés XVII. (T. II. p. 123.) „*Ich glaube — an die Todtenauferstehung, dass die Leiber wieder zum Vorschein kommen sollen.*“ — ibid. XVIII. (p. 124.) „*Ich glaube an die Todtenauferstehung, glaube, dass alle Leiber neu leben werden.*“

simul est imbecillitas et fragilitas, quam brevis vita, quam tristis sors post mortem eventura! Hac re magnum et acerbum dolorem in piorum animis excitari necesse est. — Patriarchas quidem (vid. I. D. 1.) aequo animo mortem et inferos exspectantes cernimus. Freti Deo, cujus fidem ipsi experti sunt, posterorum felicitatem laeti prospiciunt, et hanc ob causam ipsi nihil amplius curant, nihil requirunt. Atque etiam posterioribus seculis in vitae fragilitate et brevitate hoc piis dulcissimum manet solatium, quod, quum singuli intereant, ipsorum gens aeterno flore sit gavisura. Etenim Deus, qua est immutabili fide et bonitate, per omnia secula promissa ita est servaturus (Ps. 103, 17. coll. 90, 1. 16), ut, etsi terra coelumque ruerint, progenies justorum incolumis sit mansura (Ps. 102, 27—29). — Verum his non explentur desideria piorum, qui jam altius spectare coeperunt atque aeternitatem ad se pertinere sentiunt. Mortis contemtionem procul habent, immo vero eorum animis ingens interdum objicitur metus atque dolor, ubi considerant, hujus lucis, qua jam laeti fruuntur, mox fore finem, et tristissimam sortem sibi paratam esse apud inferos [130]. Quod non miraberis, si reputaveris, cur terrestris vita tantum pretii piis Israëlitis habuerit. Beata iis est in hac vita communitas cum Deo, cujus numen non per conjecturam scrutati, sed vim et bonitatem re atque usu experti sunt, quem colere, quo gaudere summum bonum existimant [131]: quae omnia morte rumpuntur. Hinc ille questus, quod, ut Hiskias di-

130) Sane non minns, quam Patriarchae decrepiti mortem et inferos exoptat Jobus, quippe cui vitae terrestris propagatione nil nisi calamitates videantur hauriendae. Is perbeatos existimat mortuos, qui exanclatis vitae laboribus jam apud inferos quiescunt, ubi, quasi in portu, et ipse perfugium se inventurum laetatur (3, 13 sq,). Veruntamen ne Jobo quidem, quum expetat mortem a malis non a bonis abducentem, ipsa sors post mortem futura, si cum vitae luce eam comparaveris, parum tristis videtur. Immo, quem locum quietis placatissimae plenum existimaverat, eum rursus et ipse ut formidolosum atque horribilem extimescit (C. 14. et al.). Cf. Sirac. 41, 3 sq. coll. 1.

131) Haec est causa, cur Vet. Testamentum vitam hominis terrestrem tanti aestimet, ut, quae inter Graecos frequens occurrit sententia, „*τιμωρίαν εἶναι τὸν βίον καὶ ἀρχὴν τὸ γενέσθαι ἄνθρωπον συμφορὰν τὴν μεγίστην*“ (Plutarch. consol. ad Apoll. C. 27), ea a Vet. Testamento sit plane aliena (exceptis quibusdam librorum Jobi et Koheleth locis).

cit, *Jehovam non amplius visuri sint in terra viventium* (Jes. 38, 11.) [132]), hinc frequens illa impendente morte et flebilis Dei imploratio, quae omnino justissima videtur, quod ipse Deus, qui gaudet se coli ab hominibus, ex umbris in Orco versantibus nihil lucri habiturus est. „*Mortuisne,* inquiunt, *facies miracula, umbraene surgent te celebraturae? Num enarrabitur in sepulcro benignitas tua, fidesque tua in pernicie* (i. e. loco perniciei)? *Num cognoscetur in tenebris miraculum tuum et justitia tua in terra oblivionis?*“ Ps. 88, 11—13. — „*Quid lucri erit in sanguine meo, quum descendero in sepulcrum? Num pulvis te celebrabit, num praedicabit fidem tuam?*“ Ps. 30, 10. coll. 6, 6. 115, 17.

Quibus cogitationibus cur tam acerbe piorum Israëlitarum animi commoveantur, etiam clarius fiet, quum ethnicorum de conditione humana sententiam cum Vet. Testamento contulerimus. Deplorant et ethnici humanae vitae brevitatem et vanitatem, dolent vehementer necessitatem, cui mortales subjecti sint, dolent eo vehementius, quoniam, etiamsi nonnunquam humanae sortis vicissitudines ex numine rerum terrestrium provido pendere statuant, tamen vitae humanae fragilitatem et communem hominum miseriam ex sancti justique Dei voluntate repetere nesciunt [133]). Nihilominus, quod homo vel immutabili naturae legi, vel fortunae rerum dominatrici, cujus rationem investigare nequeat, obnoxium se sentit, id ipsum, ne dicam, consolationis aliquid afferre, sed tamen mitigare dolorem et efficere potest, ut animus contra miserias et mortem obdurescat [134]). — Longe secus se res habet in Vet. Testamento. Quod apud ethnicos sapientis esse videtur, necessitati cedere et mortis inevitabile fatum aequo animo subire,

132) Umbreit ad l. c. „*Sterben war dem König — von Jehova scheiden, leben — in Ihm bleiben. — Frömmer kann die Trauer um den Verlust des Lebens nicht seyn, als wenn der Sterbende klagt: er werde hinfüro Gott nicht mehr schauen im Lande der Lebendigen.*“

133) Vid., quae de homerica religione Naegelsbach l. c. p. 308 sq. egregie exposuit. Cf. praeterea Lasaulx, de mortis dominatu in Veteres 1835. p. 7 sqq. et ejusdem: die Linosklage 1842.

134) Cic. Tusc. II, 25. „*necessitas ferendae conditionis humanae quasi cum Deo pugnare cohibet, admonetque esse hominem, quae cogitatio magnopere luctum levat.*“ — Cf. praesertim Plut. *consol. ad Apoll. C.* 28 sqq.

hoc pii Israëlitae procul habent. Nam cognoverunt, Deum non eum esse, qui mortis et Orci necessitatem, quam ipse generi humano injunxit, frangere, vel certe tolerabiliorem sortem apud inferos parare nequeat, dummodo velit. Quod praeter ea, quae in superioribus commemorata sunt, illi docent loci, quibus Dei vim et praesentiam ad inferos quoque pertinere (Ps. 139, 8. Job. 26, 5.), Orcum coram Deo nudatum patere (Job. 26, 6. coll. Prov. 15, 11.) pronunciatur. Quomodo igitur cum Dei potentia ejusdemque sancta et benigna voluntate tristis hominum conditio futura convenit; quomodo fieri potest, ut Deus, quos in hac terra summo dignatus est honore, quos diligit et custodit, et a quibus ipse coli ac celebrari vult, eos in illam tristem sortem tradat, neque amplius suum ipsius opus desideret! (Cf. Job. 10, 8 sq. 14, 15 sq.).

2) Aliqua ex parte levatur ea difficultas, ubi reputant pii, ob id ipsum, quod hominis vita fragilis sit et caduca, Deum in mortales largiora beneficia conferre, quibus exiguo vitae tempore laeti fruantur (Ps. 103, 13. et al.). Quocirca Psalmi XC auctor hoc a Deo precatur, ut propter vitae humanae brevitatem cito servorum suorum misereatur, nec beneficia sua tardet (cf. Job. 10, 20 sqq.), ipsos vero homines paucis, qui iis concessi sint, vitae diebus sapienter uti doceat (Ps. 90, 12—17.) [135].

Sed his omnibus sollicitudinis aculeus non plane evellitur. Etenim quoad pii quietum vitae cursum tenere possunt, nec rebus adversis nimis conflictantur, fortasse sufficere potest illud solatium. Aliter se res habet, quum gravibus vel communium

---

135) Cf. Hengstenberg ad l. c. (comm. T. III. p. 548). — Perperam nonnulli v. 12. immortalitatem hominis confirmari opinati sunt. Vid. Süsskind l. c. p. 886.; Stier (comm. in l. c.), cujus verba sunt haec: „*Denn worin sollte die Weisheit, die aus der Erkenntniss der Kürze des Lebens entspringt, bestehen, als in dem Trachten nach einem weiteren Ziel?*“ Idem (ad v. 3., ubi verba שׁוּבוּ בְנֵי אָדָם *καθ' ὑπόνοιαν* de mortuorum resurrectione explicata vult), eos, qui in vulgari carminis interpretatione acquiescunt, non dubitat ita increpare: „*wie wäre denn da Gott eine Heimath und Zuflucht, wie könnte denn da Moses hier den Ewigen so anrufen, wie wäre denn da Sinn und Verstand, dass wir nicht bloss sageu, Trost in dem ganzen Liede.*“ — Cui reprehensioni iis, quae tum in prima hujns libri parte exposuimus, tum paulo post disseremus, satis responsum arbitramur.

temporum vel singulorum casibus vita turbatur, quum pii aerumnarum mole obruti malos et impios felices cernunt. Haec vehementissime exagitant animos et praecipuum scrupulum iis injiciunt, quoniam (vid. I. D.) Mosaicae legis sancta auctoritate stabilita est sententia, neque adversas neque secundas res a justo Dei numine unquam separandas esse. Quod ethnici facile in promtu habent, aut ex fati necessitate ferrea aut ex fortunae ludibrio hominis sortem proficisci, id ne Jobo quidem succurrit, quum in obscuritate ac dubitatione ferę omnium versetur. A Dei ira aerumnas proficisci, in dubium vocare non audet; at vero id, cur Deus sibi irascatur, intelligere se posse negat. Et qui in illo dialogo Mosaismi causam agunt, diligenter respuunt opinionem, quasi temere ac fortuito aut necessitate aliqua extrinsecus allata mortalium miseria exsistat; immo identidem urgent, in ipsius hominis pravitate omnium, quibus affligatur malorum malorum materiam esse quaerendam [136]).

3) Interdum sane animi commotio eo sedatur, quod afflictus expendit, coram Deo plane innocentem esse neminem, et hanc ob causam etiam a piis non Dei justitiam accusandam, sed ejus-

---

136) Verba Eliphasi C. 5, 7., quae primo aspectu contra hanc sententiam pugnare videntur, ex contextu orationis illustrata eam comprobant. Eliphasus vult ostendere, neminem insontem perire (4, 7), sed omnem miseriam ex hominis culpa proficisci. Etenim (4, 17—19) „*justusne erit homo coram Deo, purusne vir coram creatore suo? Ecce servis suis non confidit, et in angelis suis ponit pravitatem; quanto magis* (in iis), *qui luteas habitant domos*“ etc.; — quod 5, 3—5. improbi cujusdam hominis exitio, quod Eliphasus cognovit, comprobatur. Jam si Eliphasus 5, 6 sqq. pergit: „*non ex pulvere oritur malum, neque ex humo succrescit miseria* (i. e. non extrinsecus accedunt causae aerumnarum humanarum), *sed ad miseriam homo natus est, sicut filii fulguris sursum feruntur*“ (i. e. suapte natura homo ad miseriam trahitur, quemadmodum aves rapaces hac conditione nascuntur, ut volatu sublime petant; vel, ut alii interpretantur, quemadmodum scintillae naturali suo impulsu sursum feruntur): contextus sermonis docet, Eliphasum de ea aerumnarum necessitate loqui, quae hominis vitio orta sit. Recte Hirzel (Comm. in Jobum p. 34.): „*er selbst der Thor hatte dieses Loos verschuldet, wie denn überhaupt Unheil und Elend niemals aus dem Boden wächst, d. h. von aussen kommt, vermöge Naturnothwendigkeit, sondern der Mensch ist es, in dessen Natur es ebenso liegt, durch die Sünde das Elend herbeizuführen, als es in der Natur der Feuerfunken liegt, dass sie aufwärts fliegen.*“

dem clementiam ac misericordiam implorandam esse. (Ps. 39, 9 sqq. Cf., quae Eliphasus Jobo suadet 5, 8 sqq. et al.). — Quid vero, quum miseriae semper crescunt, quum pii, nullius sceleris sibi conscii, singularium calamitatum ictibus afflicti in singularis nequitiae suspicionem incurrunt, suppliciorum autem de improbis sumendorum exspectatio etiam atque etiam fallitur? Tunc acerba exoritur expostulatio cum Deo: *„cur, Jehova, stas in longinquo, occultas te calamitatis temporibus? quamobrem spernit improbus Deum, et dicit in corde, te non esse judicaturum?“* (Ps. 10, 1. 13. coll. Jerem. 12, 1. Job. 21, 7. et al.). Praecipue huc spectat Ps. 39. Diu, vates ait, se, quum sceleratorum felicitatem conspexisset, vehementes animi motus cohibuisse, ne cum Deo expostularet; jam vero dolore se adeo exarsisse, ut amplius linguae temperare non possit (v. 2—4.). Non sine acerba quodam ironia a Deo flagitat, ut vitae terminum sibi indicet, simul vitae humanae brevitatem ei exprobrans. (v. 5—7. [137]) Cf. Job. 7, 7. 14, 1 sqq. 16, 22.). — Quid? ad eam desperationem adduci potest pius, ut, quidquid de Dei fide, justitia, sapientia persuasum habuerat, ad tempus plane abjicere conetur (cf. Job. 9, 11 sq.). Tum vero ipsius vitae, quae Dei praesentis ac propitii gratia et tutela careat, nullum amplius pretium esse videtur. (cf. Ps. 63, 4. et al.). Haec potissimum est causa, cur Jobus diem natalem exsecretur et omnino se nunquam vixisse malit (Job. C. 3. coll. Jerem. 20, 14—18).

4) Habent quidem jam sub Vet. Testamento pii homines aliquid cognitum, quo hic nodus aliquatenus expediri possit, illud

---

137) Sic Hengstenberg (comm. in Ps. T. II. p. 305 sqq.), ut mihi videtur rectissime hujus loci rationem explicavit. *„Es ist schrecklich, wenn dem armen Menschen sein kurzes und flüchtiges Daseyn noch so verbittert wird, dass er sein Ende ersehnen muss.“* — Satis perspicuum est, demum v. 8. b. poëtam exacerbati animi aestum compescere. (Dixerat initio versiculi 8.: *„quid igitur spero domine,“* sc. quum tu mihi ipse spem praecideris. Tum subito pristina fiducia erumpit: *„in te reposita est spes mea.“*) Aliorum quorundam interpretationes probare non possum. E. g. Köster hanc versiculorum 5—8. sententiam esse censet: *„Jehova lass mich die Nichtigkeit des menschlichen Daseyns erkennen* (v. 5. 6.), *damit ich mich zu dir halte“* (v. 7. 8.), prima verba versiculi 8. ita explicans: *„darum harr' ich des Herrn.“* Tum vero, ut alia omittam, sermo post v. 4. mirum in modum abruptus foret.

scilicet, quod Gen. 22, 1. Deut. 28, 2. Job. C. I. et II. XXXIII. aliisque locis significatur, miserias, quibus justi vexentur, tentationes esse, quibus Deus eorum, quos diligit (cf. Prov. 2, 12), fidem et pietatem explorare, eosdemque, ut sibi ipsi diffidant et diligentius divina praecepta custodiant, castigare velit. Plerumque autem nodus non solvitur, sed rumpitur, eo scilicet, quod piorum fracta fiducia nova vi emergit, iique de integro toto animo spem amplectuntur, profecto fore tandem, ut Deus piis opituletur et improbis justas poenas infligat (cf. Ps. 37 et al.). Etenim illud ratum, firmum, fixum manere debet, fieri non posse, ut, qui Deo confisus sit, ejus spes ad irritum redigatur, improbus vero sempiterna fruatur felicitate, quum *penes Deum et potentia sit et misericordia, idemque pro dignitate unicuique sit retributurus.* (Ps. 62, 12. 13. coll. 94, 12—23. et al.). — Eodem postremo decurrit liber Jobi. Namque Jobo cuncta amissa cumulate restituuntur, et ita aerumnarum, quas perpessus est, larga est facta compensatio.

B.

1) Haec omnia eo consilio exposui, ut etiam clarius fieret, in Israëlitarum religione plurima quidem fuisse, quibus aeternae vitae desiderium non posset non excitari, sed firmam certamque spem aeternae vitae et felicitatis post mortem futurae pios Israëlitas non fovisse. Nam etsi, qui beatam sortem piis post mortem propositam esse credit, nunquam desinet persuasissimum habere, etiam hac in terra malos atque impios profligatum iri et Dei causam esse triumphaturam: tamen mihi non possum persuadere, pios Israëlitas, si illam certam spem habuissent, ad se ipsos inter calamitates consolandos tam raro eam adhibituros fuisse, ut ii quoque theologi, qui illam spem iis tribuunt, perpauca ejus rei testimonia afferre possint. Certe, id quod illi ipsi concedent, locorum, quibus afflicti miserias deplorantes et Deum precibus invocantes inducuntur, longe plurimis non in tempus post mortem futurum salutem procrastinatam putant, immo vero in hac terra (cf. praesertim Ps. 27, 13. 142, 6.) [138].

---

138) Non defuerunt, qui, quum locutionem אֶרֶץ חַיִּים de mortuorum *beatorum* sede interpretarentur, his similibusque locis spem felicitatis *post mortem futurae* expressam esse existimarent. Quae sententia evi-

Dei auxilium se insigni modo experturos esse, improbos vero cito de fortunis omnibus deturbatum et de medio sublatum iri confidunt; idemque firmiter tenent, etiam ubi in summum discrimen adducti sunt, nec ulla amplius spei justa ratio superesse videtur. — Hac autem re ut de pietate eorum aliquid detrahatur, tantum abest, ut nihil fere sit, ex quo magis eluceat, quantam jam sub Vet. Testamento vim habuerit pia in Deo vivo et praesenti reposita fiducia, quam ne maximae quidem aerumnae evertere atque ex animis potuerint extorquere [139]).

2) Nihilominus negari non potest, Davidem aliosque servos Dei, etiamsi de coelesti piorum vita et de beata animorum immortalitate exploratum iis non fuerit, tamen quodammodo eam praesensisse, et ita aliquem fructum ejus quasi anticipasse. Res enim ita se habet. — Quae servos Dei excruciat dubitatio ac

---

denter pluribus locis redarguitur, ubi eadem locutione haud dubie haec terra, cui Orcus ut *terra oblivionis* (Ps. 88, 13.) vel *terra caliginis* (Job. 10, 21.) opponitur, significatur: vid. Jes. 38, 11. 53, 8. Jer. 11, 19. Ezech. 32, 23. Ps. 52, 7. 116, 9. — Burk, Gnom. ad Ps. 27, 13. ita statuit: „*terra viventium ubi antitheton est ad eos, qui mortem oppetere, in infernum descendere debent, est hujus vitae mortalis usura et commoratio; ubi vero de spe ulteriore eorum, qui adhuc in hoc orbe vivunt, adhibetur, terra viventium vitae aeternae usuram et commorationem in aeternis habitaculis connotat.*“ Sed hoc ipsum, in Ps. 27, 13. et 142, 6. „*de spe ulteriore*“ agi, erat probandum, neque vero probari potest, quum in utroque psalmo alterum illud antitheton sit. Nam quum vates speret, se Dei auxilio a morte, quam adversarii intentant, servatum iri, sequitur, ut in hac terra se Dei gratia laetaturum esse speret.

139) Cf., quae Hengstenberg in comm. ad Ps. 39, 5. (Tom. II. p. 314) hac de re disputavit: „*Dieser Glaube war unter dem Alten Testament ein blinder im guten Sinne. Wäre das Ende dieses armen Lebens das Ende der Wege Gottes mit den Seinen, denen er so viele Versicherungen seiner zärtlichen Liebe gegeben, so liesse sich die Kürze desselben schon an sich nicht rechtfertigen, und am wenigsten im Zusammenhang mit den schweren Leiden, wodurch dasselbe verbittert wird. Es ist das stärkste Zeugniss für die Lebendigkeit und Tiefe des Glaubens unter dem A. B., dass er an diesem Anstoss nicht zu Schanden geworden ist. Wer sich bemüht, die wahre Sachlage in dieser Beziehung zu entstellen oder zu verdecken, mehrt nicht die erbauliche Kraft des A. T., sondern vermindert sie.*“

sollicitudo, omnis fere inde exorta est, *quod*, ut supra dixi (I. D. 1.), *Mosaismus pii cum Deo societatem a terrestri prosperitate, quae illius et fructus et pignus est, disjungere nequit, nec, quomodo cum externorum bonorum jactura Dei benevolentia stare possit, satis explicare potest.* Jam vero, quum illam terrestris prosperitatis spem, quam pii fovent, etiam atque etiam eventus fallit, quum semper aliter accidit, atque arbitrati sunt, et Dei justitiam patefactum iri, frustra desiderant: num revera pii Dei cultores miseri erunt? miserioresne improbis, quibus omnia, quae exoptata habent, obtingunt? Num horum sortem suae anteponent? — Minime vero. Nonne iis succurret, quum indissolubili vinculo cum Deo conjuncti sint, etiam inter aerumnas se ea beatitudine frui, cui nulla terrestris felicitas sit aequiparanda. — Hanc vero sententiam pluribus Psalmorum locis expressam cernimus, et clarissime quidem in Ps. 73. Cujus carminis argumentum est hoc. Assaphus exponit, quum et impiorum felicitatem et piorum miseriam animadvertisset, non multum abfuisse, quin ipse a Deo descisceret (v, 1—15.); jam vero, postquam diligenter de arcanis Dei consiliis meditatus sit, se cognovisse, lubricam esse et praecipitem improborum vitae viam, pios autem Deo duce ad decus et honorem perventuros (v. 16—24). Hactenus vates praeter ea, quae supra (sub A) explicavimus, nihil profert (nisi forte in v. 24. novi aliquid inveneris, qua de re paulo post dicendum erit). Tum vero cito erumpit laetus sensus, jam in praesenti, antequam illa, quae vates sperat, evenerint, se per communitatem, quae ipsi sit cum Deo, ita esse beatum, ut nihil queat desiderare, quo fiat beatior. V. 25. „*Quis mihi est in coelo* (sc. praeter te), *et juxta te non diligo* (quidquam) *in terra.* 26. *Etiamsi consumta sint caro mea atque cor meum, rupes* (firmum praesidium) *cordis mei et portio mea* (erit) *Deus in aeternum.*“ Similia sunt, quae in Ps. 4, 7—9. Davides inter insidias, quas adversarii paraverunt, animo laetitia perfuso canit: „*multi dicunt* (quasi re desperata): *quis nobis salutem monstrabit?* (Ipse vero ita precatur:) *Attolle super nos lucem faciei tuae, Jehova!* (Hoc Deo fretus etiam in praesenti periculo testatur:) *posuisti laetitiam in corde meo*, (majorem quidem), *quam quum frumentum et mustum eorum* (sc. adversariorum) *multa sunt*“ etc.; h. e. Davides in omnium rerum penuria et vitae discrimine positus per Dei sui tutelam se sentit feliciorem illis, qui in copiarum affluentia versantur.

Alios quosdam locos, qui eodem spectant, paulo post lustrabimus.

3) Apparet igitur, revera piorum Jehovae cultorum eam esse felicitatem, quae temporum vicissitudinibus non sit subjecta. Alienissimum quidem a pio Israëlita est illud, quod Stoici jactabant, ad beatē vivendum virtutem se ipsa esse contentam, et hanc ob causam fortunae tormentis sapientis animum non concuti. Sed aliud ille cognitum habet et firmius beatae vitae praesidium: conquievit in amore Dei, in cujus praesentia unus dies actus diuturnae vitae, gratia ejus cassae, longe est anteferendus (cf. Ps. 27, 4. 63, 4. 84, 11. etc.), et sic omnia, quae cadere in vitam humanam possint, adversa subter se habet. — Ubi vero ita vis sanctae, qua pii cum Deo copulati sunt, societatis perspecta est, nonne fieri necesse est, ut interdum, duntaxat ad tempus, igniculus suscitetur spei, illam societatem, quae in hac vita dissolvi nequeat, ne morte quidem interruptum iri, sed in aeternum esse duraturam? Equidem arbitror, hanc sententiam nonnullis locis probabilem reddi, quamquam concedo, omnes tales esse, ut de eorum interpretatione ambigere liceat, neque eos interpretes, qui illorum sententiam extenuare malint, satis firmis argumentis confutari posse.

4) Primum huc pertinet is ipse locus, quem supra commemoravimus, Ps. 73, 23 sqq. Errant quidem haud dubie, qui in v. 24 verba וְאַחַר כָּבוֹד תִּקָּחֵנִי [140]) ad gloriam piis in coelo propositam referunt. Etenim quam frigida exsisteret sententia, si Assaphus, quo loco, cum Deo se conjunctissimum sentiens, feroci quadam laetitia exsultat, simul asseveraret, *profecto se tandem post mortem honorem esse adepturum.* At vero, quum pergit, „*etiamsi consumta siut caro mea et cor meum, rupes cordis et portio mea erit Deus in aeternum,*" — facile intelligitur, eum hoc ipso temporis puncto, aeternitatis sensu ita perfusum esse, ut, qua jam fruatur Dei propitii praesentia, ea, etiamsi hoc corpus deletum sit, nunquam se cariturum esse confidat [141]).

140) Vertenda sunt: *et deduces me ad honorem* sive accuratius *der Ehre nach,* ita quidem, ut tota vitae via nonnisi ad honorem dirigatur. Cf. Ewald, Köster, Hengstenberg.

141) Hengstenberg prius versiculi membrum ita supplendum censet: „*käme es auch mit mir aufs äusserste — zum Tode; dahin*

Pergamus ad duos Psalmorum locos, quibus spes declarari videtur, animas piorum a Deo servatum iri, ne ad inferos descendant, Ps. 49, 16. 16, 10. 11. Uterque locus ita explicari potest, ut tantummodo de imminentis cujusdam periculi discrimine, ex quo vates se servatum iri speret, agere videatur. Sed si totam utriusque loci rationem diligenter inspexeris, illam interpretationem parum acceptam habebis. — In Psalmo 49 eadem, quam Ps. 37. 73 et alii tractant, exponitur sententia, pios scilicet, ubi improborum felicitatem et superbiam conspexerint, bono animo esse debere. Istos enim, quantumvis de opibus suis glorientur, a morte animas non esse redemturos, immo mox ad inferos detrusum iri pecudum instar jugulandarum. Jam vero, pergit vates, quum improbi Orco devoti sint, *certe Deus animam meam redimet ex potestate Orci, quum me prehenderit*" [142]). Licet sane hunc locum ita explicare, ut Maurer fecit: „*dum exstinguuntur, qui opibus suis confidunt impii, me, quum in vitae periculum vocatus fuero, Deus eo liberabit.*" Veruntamen si diligenter consideraveris primum, verba v. 16. opposita esse sententiae v. 8., ubi non de singulis quibusdam vitae periculis, ex quibus homo hominem redimere nequeat, sed omnino de morte agitur [143]), deinde v. 15. 20. Orcum non obscure κατ' ἐξοχὴν improborum habitationem dici, satis probabile redditur, vatem hoc loco auguratum esse, justorum animas illa tristissima sorte, quae impios apud

---

aber wird es durch Gottes Gnade nicht kommen." — Sic autem nervus sententiae succiditur.

142) Sc. Orcus. Sic Ewald et Maurer. — Hengstenberg: „*Denn er* (Deus) *nimmt mich*" sc. ex potestate Orci; tum vero verba otiosissima forent. — Melius Köster (coll. 41, 13. 73, 24.) „*denn er fasst mich an.*" — Alii: *nam suscipiet me Deus in tutelam suam.* Sed valde dubium est, num voci לקח haec vis tribui possit.

143) Eadem Köster ad hunc locum annotavit: „*Der Fromme ist durch Gottes Macht dem allgemeinen Loos der Sterblichkeit* (v. 8.) *entnommen. Von einer bloss temporären Erhaltung kann hier des Gegensatzes wegen nicht die Rede seyn.*" — Parum recte Tholuck (Uebers. u. Auslegung der Ps. 1843.) verba explicavisse videtur: „*Aber meine Seele wird Gott loskaufen aus der Unterwelt, ja, er wird mich annehmen*, h. e. *meine Seele wird in der Unterwelt nicht bleiben; abwärts geht unser aller Weg, aber bei etlichen auch wieder aufwärts.*" Quid? nonne hoc potius affirmat vates, se ad inferos omnino non esse descensurum.

inferos maneat, liberatum iri. Quae vero sit illa beatitudo, quam sibi sempiternam fore pius speret, cognosci potest ex altero loco, Ps. 16, 8—11., qui jam inspiciendus est. Davides „*Jehovam*, inquit, *ob oculos positum habeo continuo; quoniam is a dextra mea est, non nutabo. Propterea laetatur cor meum atque exsultat animus meus; quid? caro mea requiescet secure* [144]). *Non enim permittes animam meam inferis, nec trades pios tuos, ut videant* (h. e. experiantur, vid. I. C. 2.) *sepulcrum. Monstrabis mihi viam vitae, ubertatem gaudiorum coram facie tua, suavitates in dextra tua* (vel: *per dexteram tuam) in perpetuum.*" — Davidem his verbis non eam beatitudinem significasse, quae demum post mortem ipsi esset obventura, certissimum est. Immo vero jam ingressus est illam vitae viam, quae ad ubertatem gaudiorum perpetuam pios est deductura. Qui autem putant, Davidem h. l. nihil affirmare, nisi se inter varios et ancipites vitae casus semper securum esse mansurum, non minus verborum amplitudinem extenuant. Etenim quis non sentit, Davidem eo ipso temporis puncto, quo illa canit, procul habere timorem, ne quando Dei praesentia, qua jam gaudeat, in Orci et sepulcri tenebris sit privatus. Nonne elatus fiducia in Deo, quem pro summo bono habet (v. 2.), reposita, cum maxime persuasum habet, vinculum, quo pii cum Deo conjuncti sint, nunquam posse dissolvi [145]). Est igitur hujus loci sententia simillima ei, quam Assaphus in Ps. 73, 26. declaravit.

Progredimur ad Ps. 17, 15., quem locum multi interpretes pro luculento spei beatae immortalitatis testimonio habuerunt. Vates ab adversariis insolentibus oppressus ad Deum confugit, quo fretus in hanc laetam vocem erumpit: „*ego in justitia contuebor faciem tuam, satiabor, quum experrectus ero, specie tua.*"

---

144) Haec verba non ad requietem corporis in sepulcro siti referenda esse, bene exposuit Hengstenberg in comm. ad l. (T. I. p. 331 sq.).

145) Tholuck ad h. l. „*In den Stunden, wo ein Gottliebender Mensch so wie hier David in das innerste Heiligthum der Gottesgemeinschaft hineingeführt wird, wo die Erkenntniss, wie hier bei David, aufgeht, dass Gott das allgenugsame Gut des Menschen sei, bei dessen Besitze er immerdar wohl bleiben könne, in solchen Stunden muss ebendamit auch das Bewusstseyn eines unvergänglichen und seligen Daseyns aus dem tiefsten Grunde der Seele sich erheben.*"

Quorum verborum quae sit sententia, ex antecedentibus debet illustrari. Plerisque universi loci ratio videtur esse haec: deliciis, quibus homines rerum terrestrium amantes satientur (v. 14), vatem opponere illum beatiorem fructum, quem ipse ex Dei conspectu perccpturus sit. Sententiarum nexu ita explicato verba versiculi 15. haud dubie ad beatitudinem mortuis piis obventuram referri possunt, praesertim si extrema versiculi 14 verba diligenter consideraveris. Nam haec exsistet sententia: *humiles isti homines non modo ipsi, dum vivunt, hujus terrae bonis satiantur, sed etiam post mortem eorum liberi omnium rerum copia hereditate accepta fruuntur.* Cui sententiae apte subjungitur altera: *pio vero, quamvis neque ipse in hac vita fortunis abundet, neque post eam filiis opes relinquat, tamen melior felicitas proposita est, quum et in hac vita Dei gratia gaudeat, et post eam transactam divinae majestatis conspectu laetaturus sit.* Sed tota illa versiculi 14 explicatio falsa videtur. Nam quum v. 15. arcte cum v. 13. cohaereat, haec potius verborum sententia esse videtur: *serva me ab impiis istis hominibus manu tua* (= חַרְבֶּךָ v. 13.), ita scilicet, ut eos deleas, *quippe qui* (quod vates exprobrans et queribundus dicit), *tam diu beneficiis tuis abutantur* [146]. Tum vero in v. 15. vates fiduciam exprimit, Deum, qui hucusque faciem suam occultaverat, jam manifestissimo auxilio praesentiam

146) Cf. Calvini comm. et inter recentiores praesertim Hengstenb., qui loci rationem ita explicat: „*Der Sänger glaubt die im vorigen V. ausgesprochene Bitte um so zuversichtlicher wagen, und ihre Erfüllung um so gewisser hoffen zu dürfen, da es sich mit Gottes Wesen und Worte nicht verträgt, dass diejenigen, die von ihm entfremdet ihn verachten und sich trotzig wider ihn erheben, von ihm mit Gütern reichlich bedacht und des Segens theilhaftig werden, welcher der Frömmigkeit verheissen ist. Diesen Widerspruch der Wirklichkeit und der Idee, muss Gott, so wahr er Gott ist, durch sein Gericht ausgleichen, muss die Abnormität beseitigen, welche so sehr geeignet ist, den Bösen in seiner Bosheit zu stärken, den Frommen in seiner Frömmigkeit wankend zu machen, und die durchaus nur als eine temporäre gedacht werden kann.*“ — Nimis artificiosa mihi videtur ea, quam Vaihinger proposuit interpretatio: „*Fülle etc. ist Fortsetzung der Bitte* V. 13. — *Schatz ist das, was Gott ihnen aufgespart hat, ihr Unglück* Hiob 24, 1. — *Auch ihre Kinder müssen noch an dem Unheil und Verderben ihrer Väter zu tragen haben.*“

suam declaraturum esse. — Sed utcunque sententiarum nexum explicabis, tamen hoc certum est, in vocibus הָקִיץ et אֶשְׂבְּעָה תְמוּנָתֶךָ nihil inesse, quod locum ad beatam immortalitatem referre cogat. Qui הקיץ *de expergiscendo ex mortis sopore* dictum putant, meminerint, num illi verbo haec significatio tribuenda sit, tantummodo ex contextu sermonis dijudicari posse, nostro vero loco omnia plana esse, si usitatam verbi vim retineas [147]). Quod autem vates תמונת יהוה se conspecturum esse sperat, id quidem haud dubie ex iis, quae Num. 12, 8. de Mose narrata sunt, repetitum est, nec tamen quidquam nisi intimam cum Deo familiaritatem et manifestae ejus praesentiae experientiam indicare videtur. (Cf. praecipue Ps. 63, 3.)

Praeter hos, quos hactenus explicavimus, alii quidam in libro Psalmorum exstant loci, in quibus nonnulli interpretes vestigia spei beatae immortalitatis inesse arbitrati sunt, sed sine justa ratione. E. g. in Ps. 48, 15, etiamsi verba הוא ינהגנו על־מות — id quod dubito — licuerit interpretari „*Deus ducet nos ultra mortem*,“ tamen ex universi Psalmi argumento de immortalitate animi beata non erit cogitandum [148]), sed sententia dicti erit haec, Deum porro e gravissimis vitae periculis gentem educturum esse [149]). Eadem manet sententia, si verba rectius expli-

---

147) Hengstenberg ad h. l.: „*In der Stille der Nacht klagt der Gerechte auf dem Lager dem Herrn seine Noth und erhält von ihm inneren Trost und die Versicherung seines Beistandes. Beruhigt schläft er nun ein, gewiss, dass der Herr ihm beim Erwachen die versprochene Hülfe gewähren werde.*“ — Parum apte Calvinus הקיץ interpretatur: *respirare a tristitia.*

148) Quod voluerunt Burk, Stier, Tholuck et alii. — Tholuck (l. c. p. 239) locum ita illustrat: „*bleibt dieser Gott derselbe, so werden auch gläubige Enkel die Thaten erleben, welche die gläubigen Väter erlebt haben; und ein Gott, der sich an dem schwachen Sterblichen in diesem Leben so wunderbar verherrlicht, sollte, wenn es zu Erde ist, ihn in Staub und Asche zerfallen lassen?*“ — Nemo non videt, quam longe repetita h. l. spes immortalitatis sit.

149) Scite Vaihinger (ad l. c.): „*Hat Gott aus dieser Gefahr errettet, so wird er auch über die grösste, den Tod, hinüber helfen. Dieser drohte hier um so mehr, als die Niederlage der Assyrer durch eine Pest entstanden zu seyn scheint, welche schonend an Israël vorüberging.*“

caveris: „*Deus ducet nos in morte*" (proprie: „*beim Sterben, wenns zum Sterben geht.*" Vid. Hengstenberg) [150]). Similis sententia expressa est Ps. 68, 21. ליהוה אדני למות תוצאות. [151]).

In Ps. 37, 18. „*Cognovit Jehova dies proborum, et possessio eorum manebit in aeternum*" nonnulli aeternam ac coelestem haereditatem promissam volunt. Sed ex v. 11. perspicuum fit, quae h. l. promittuntur, omnino ad terrestria spectare. Verba v. 18. ex iis illustranda videntur, quae jus Mosaicum de patrimonorium aeternitate statuerat.

Alios Psalmorum locos, quos insuper huc traxerunt, omittendos censeo.

5) Restat ut inquiramus in ea, quae in libris Proverbiorum et Jobi inesse videntur, spei beatae immortalitatis vestigia.

Proverbia persaepe vitam et mortem commemorant, quarum alteram sapientiae et pietatis fructum, alteram stultorum et impiorum mercedem esse docent. Sapientia 8, 35 sq. inducitur ita loquens: „*qui me reperit, reperit vitam, et impetrat gratiam a Jehova; qui a me aberrat, animam suam violat, quicunque oderunt me, amant mortem.*" Cf. 11, 19. — Sapientia dicitur arbor vitae 3, 18, disciplina et castigatio ejus via vitae 6, 23. coll. 10, 17.; verecundia Dei et intelligentia dicuntur fons vitae 14, 27. 16, 22., ita quidem, ut, qui illi se tradiderint, ex morte eripiantur et semper incolumes serventur 13, 14. 14, 27. 10, 2. 11, 4. et al. — „*Homo, qui aberrat a via intelligentiae, in coetu manium residebit*" 21, 16. 2, 18. 5, 5 sq. 7, 26 sq. 9, 18.; sed „sapienti via vitae munita est sursum tendens, ut evitet Orcum deorsum" 15, 24. — Quid? 12, 28 declaratur, *in semita justitiae vitam esse et viam tramitis ejus immortalitatem* (Vid. Ewald ad h. l.).

Haec omnia nonne indicare videntur, justis ac sapientibus beatam immortalitatem destinatam esse? — At vero, si locos laudatos accuratius inspexeris, hanc sententiam admodum incertam esse intelliges. Etenim quid sibi velit illud, sapientiam *arborem*

150) Nisi malueris cum LXX et Vulg. legere עַלְמוּת.

151) Stier l. c. T. I. p. 81. h. l. salutem aeternam, quam Novum Testamentum proposuit („*die völlige Erlösung von der Gewalt des Todes im neutestamentlichen Sinne*"), promissam putat, eosque, qui verba aliter interpretantur, graviter accusat.

vitae esse (3, 18), discimus ex 3, 16.: „*vita diuturna* (cf. 10, 27 et al.) *in dextra ejus, in sinistra ejus* (sunt) *divitiae et honor*, quibus bonis multis locis adjiciuntur animi bona ut praestantissimus sapientiae fructus (21, 21. 2, 9 et al.). — Quid sibi velit illud 10, 2., *justitiam eripere ex morte*, intelligitur iis, quae statim sequuntur (v. 3): *non sinit Jehova esurire justi animam.*" — C. 11, 4., ubi eadem sententia redit („*nihil prosunt divitiae die irae, sed justitia ex morte eripit*"), nihil aliud significatur, nisi inter judicia, quibus Deus improbis exitium paraturus sit (cf. 1, 27 sqq., ad יום עברה cf. Zeph. 1, 15), justos incolumes esse mansuros. (Vid., quae supra II. B. 2. de hac re disseruimus). — Idem confirmatur iis, quae 2, 18—22. exposita sunt. Nam quid sibi velit illud v. 18 sq., *incestos ad inferos detrudi nec vias vitae assequi*, perspicuum fit ex v. 21 sq.: „*probi habitabunt terram* (sanctam) *et improbi superstites erunt in ea. Improbi vero ex terra delebuntur, et perfidi evellentur ex ea.*" — Pariter 10, 30. sententiae „*justus in aeternum non nutabit*" (cf. v. 25), opponitur altera: „*at improbi non habitabunt terram.*" — Clarissime vero illa, quam lex Mosaica sanxerat, de pietatis praemiis terrestribus sententia expressa est 11, 31: „*ecce justo in terra rependitur, quanto magis improbo et peccatori.*"

Apparet igitur, satis firmis argumentis posse muniri hanc sententiam, quae statuit, vitam in Proverbiorum libro piis ac sapientibus promissam, nil esse nisi vitam terrestrem et corporis et animi bona complectentem, et ad hujus vitae conservationem referenda esse, quae de justis morte liberandis dicta sint.

Nihilominus etiam in libro Proverbiorum non plane ea desunt, quibus beatae piorum immortalitatis praesagitionem adumbrata videatur. Animadvertendum est diligenter, librum Proverbiorum, ubicunque Orci mentionem facit [152]), de eo semper ita loqui, quasi ille sit tantummodo improborum sedes. Hominum descensus ad inferos nonnisi ita commemoratur, ut poena sit a Deo malis parata. (Cf. praeter eos, quos supra laudavi, locos etiam C. 23, 14., ubi verba „*animam ejus ex Orco eripies* nil aliud sibi volunt nisi: *ab exitio, quod manet malos eum liberabis)* [153]).

---

152) Exceptis duobus locis 1, 12. 30, 16., qui ad hanc quaestionem explicandam omnino nihil faciunt.

153) Cf. quae de Ps. 49. supra disputata sunt.

Nusquam dictum est, pios ipsos et sapientes illam tristem sortem effugere non posse. Quod si consideraveris, eadem, quam ex nonnullis Psalmorum locis repetivimus, redibit sententia, a sapientibus Israëlitis non plane alienam fuisse spem, fore fortasse, ut piis melior quam impiis post mortem sors parata sit. Cui sententiae praecipue favent, quae 15, 24 et 12, 28. dicta sunt. Via illa, sapientes sursum ductura, ut Orcum effugiant, vix tantummodo ad hujus vitae felicitatem revocari potest; immo coelestem vitam vates videtur augurari. Eodem forsitan vox אל־מות 12, 28. spectaverit.

Reliquum est, ut pauca addam de celeberrimo Jobi loco 19, 25—29., cujus ratio est haec. — Jobus, quum ipsis amicis innocentiam suam suspectam sentiat et, quos adjutores fore putaverat, adversariorum vicem tenentes cernat, jam redintegrata spe ad Deum, quem paulo ante infestum sibi putaverat, confugit, eumque postremo causae suae patrocinium suscepturum esse confidit. „*Ego vero*, inquit, *persuasum habeo*, *vindicem meum vivere et postremo in* (vel accuratius: *super) pulvere surrecturum esse. Et post cutem meam, quam destruxerunt* (cf. 30, 30), *eccam! et sine carne videbo Deum* [154]). *Quem ego videbo mihi* (propitium), *et oculi mei videbunt, neque alienus* [155]); *consumuntur renes mei in*

---

154) Haec versiculi 26 interpretatio sola est, quae cum Grammaticae regulis conveniat. Recte Hirzel (in comm. ad h. l.): „אחר *kann nur Präposition seyn*, *nicht aber als Conjunction mit* נקפו *verbunden werden*, *weil in diesem Falle das Verbum sofort folgen müsste*, vgl. 42, 7. 3 Mos. 14, 43.“ — Eadem regula (quam Ewald, ausführl. Lehrb. der hebr. Spr. § 222, 6. omisit), etiam ad ceteras praepositiones pertinet, ubi conjunctionum vice funguntur. Cf. עד Gen. 38, 11. Jos. 2, 22. 1 Sam. 2, 22. 14, 19. 2 Reg. 24, 20. (Quae 1 Sam. 20, 41. masorethae habent, corrupta esse, praeter eas, quas Thenius attulit, rationes jam haec regula convincit). Aliter se res habet, quum praepositionem particula negativa subsequitur, e. g. Job. 16, 17. על־לא חמס בכפי. — Vox מבשרי ex lege parallelismi explicanda est proprie „*von meinem Fleisch ab*“ h. e.: statim postquam consumta erit caro mea.

155) Hirzel: „ולא זר *scheint Gegensatz zu* אני etc. *zu seyn — eig. ein Fremder d. i. ein Anderer*, *als Hiob selbst*, *ebenso* Spr. 27, 2. *Gemeint ist die Gegenpartei*, *welche der Meinung ist*, *dass Gott auf ihrer Seite stehen*, *sein Urtheil über Hiob mit dem ihrigen übereinstimmen werde*, *so dass also Hiob sagt: ich werde*

sinu meo (desiderio). *Profecto dicetis: quidnam persecuti sumus eum; tunc radix causae in me inventa erit* (h. e. tunc manifestum fiet, quaenam sit causae meae, de qua disceptatur, vera ratio).

Diversas hujus loci interpretationes nolo singillatim recensere[156]). Luculenter Vaihingerus exposuit, ex quatuor, quae de hoc loco prolatae sunt, sententiis duas plane esse rejiciendas, quarum altera verba ad mortuorum resurrectionem relata vult, altera iis hoc putat enunciatum, Jobum sperare, se in hac vita in pristinam felicitatem restitutum iri. Itaque optio data est inter duas reliquas interpretationes. Earum una statuit, Jobum, qui antea Dei adventum exoptaverat, ut cum eo expostularet (13, 3. 22.), jam confidere, fore, ut priusquam vi vitali exhausta in sepulcrum descenderit, Deus in terra (עַל־עָפָר, cf. 41, 25.) appareat innocentiae suae testis atque vindex. Altera sententia, quam Ewaldus et Vaihingerus defenderunt, verba Jobi de re post mortem eventura explicata vult: Jobum, quum in hac vita sibi Deum ut patronum obvium datum iri desperaverit, jam hoc persuasum habere, certe tandem ad suum tumulum (עַל־עָפָר, cf. 17, 16. 20, 11. 21, 16.) Deum vindicem staturum, et sese ipsum deleto corpore Dei propitii et justi praesentia esse laetaturum. — Harum interpretationum utra rectior sit, vix erit dijudicandum, nam in utramque partem facile potest disputari. Mihi quidem verbis v. 26. et 27. posterior sententia videtur accommodatior. Levissimi momenti est, quod nonnulli objecerunt, locum ita explicatum cum iis, quae antea dicta essent, pugnare. Nam quum Jobi spes, quae antea prostrata erat, hoc loco victrix exsurgat, necesse est, eum jam talia proloqui, quae antea cogitatione amplecti non potuisset. — Major vero difficultas inde exoritur, quod poëmatis fabula non ad eum exitum perducitur, quem, si vera est posterior interpretatio, exspectaveris; et maxima difficultas in eo posita est, quod Jobus indicare videtur, eandem, cui ipse praestoletur, Dei vindicis praesentiam etiam adversarios

Gott schauen, wie er für mich auftritt, nicht aber wird ein Anderer, einer von euch ihn schauen für sich auftretend, seine Partei ergreifend.“ — Ceterum non minus apte alii interpretati sunt: *neque alienum* i. e. adversarium videbo Deum.

156) Vid. Stickel de Goële Jen. 1832, Hahn l. c. p. 31 sqq., Vaihinger, das Buch Hiob übersetzt u. erläutert 1842. p. 109 sqq.

experturos esse. Quod, nisi in hac terra Deum appariturum esse sperabat, dicere non potuit [157]).

Utcumque se res habet, hoc ex ipsa eorum omnium, de quibus hactenus disseruimus, locorum ambiguitate intelligi potest, firmam certamque spem beatae immortalitatis pios sub Vet. Testamento nunquam fovisse. Fit interdum, ut lux aeternae vitae iis affulgeat; tum animus eorum assurgit et sublimiora loquuntur, quam quae in Mosaismum quadrent. Nunquam vero plane tollitur rerum post mortem futurarum obscuritas, neque evellitur aculeus, qui fodicat animos; nunquam revera superantur, quae vetere disciplina Mosaica de animarum in Orco versantium conditione tradita erant.

C.

Quod plane perspicuum fit ex libro Koheleth, qui, quum luculenter doceat, quid sub Vet. Testamento mens humana assequi non potuerit, quasi negativa via Vet. Testamenti disciplinam absolvit. — De hujus autem libri consilio et argumento tam varias esse constat interpretum et tam discrepantes sententias, ut, quum alii reconditam quandam et exquisitam sapientiam Ecclesiastae tribuerint, alii vulgaris Epicureismi, Fatalismi, et qui sunt ceteri ejusmodi errores, eum incusare non dubitaverint.

Quapropter primum, quid ipse de Ecclesiastae consilio sentiam, summatim exponam.

1) Non satis accurate libri argumentum significavisse videntur ii, qui dixerunt, Ecclesiastem disserere de summo bono [158]). Nam Ecclesiastes non is est, qui, quum hunc librum componit, etiamnunc censeat, homini omnino anquirendum esse, quid sit summum bonum. Sed hoc vult demonstrare, hominem bonorum finem et omnino rerum terrestrium certum ordinem neque vita

---

157) Minuitur haec difficultas ea, quam Ewaldus proposuit, versiculi 28. interpretatione: „*Denkt ihr, wie woll'n wir ihn verfolgen! und in mir sei der Sache Grund gefunden: so fürchtet vor dem Schwerte euch.*“

158) Errant, qui in verbis 1, 3. („*quid lucri est homini ex omni suo labore!*“) quaestionem illam de summo bono inesse putant. Nam his verbis exclamatio continetur, cujus sententiae est haec, hominem omnino nihil lucri ex omni labore suo ac studio reportare. Itaque v. 3. ratio subjicitur, cur in v. 2. omnia vana dicta sint.

experiri, neque cogitatione assequi posse: quamquam non negat, esse quoddam divinum consilium, ad cujus normam res mundanae, humanae praesertim, certo ordine progrediantur. Etenim — ut accuratius exponam, quid sentiam — Ecclesiastae animus quasi distrahitur in duas contrarias sententias. Altera ex parte religiose ea amplectitur, quae ex Mosaica disciplina percepit, omnia ex Dei numine pendere (2, 24. 5, 17 19. 6, 2. 7, 14. 9, 1. 11, 5.), nihil non certa lege evenire (3, 1 sqq.) [159]), Dei opera omnia perfecta esse (3, 11. 14.), eundem omnes homines in justum judicium esse vocaturum (3, 17. 8, 12 sq. 11, 9. 12, 14.): quae omnia ut pro falsis habere audeat, tantum abest, ut ea etiam atque etiam urgeat. Altera ex parte, quomodo illa vera sint, intelligere nequit. Quamvis multum in rerum inquisitione elaboraverit, hoc tamen negat se assecutum esse, ut jam perspiciat, qua ratione rerum cursus moderatiicem omnium providentiam ac divinam justitiam declaret. Confitetur, se omnino nescire, quid proficiat universus rerum mundanarum decursus, quem verae felicitatis fructum homo ex rebus terrestribus reportare possit: nam, quae ipse expertus est et meditando invenit, videntur indicare, omnia vana et consilii expertia esse (1, 14. 2, 22 sqq. etc.). Itaque quoniam in Ecclesiastae animo pia fides, quam non vult abjicere, atque intelligentia inter se discordes sunt, necesse est fieri, ut alias aliud eadem de re sentiat et secum ipse pugnet. — Homini nil reliquum esse censet, nisi ut ita vivat, quasi exstet divinus ordo, quem credere debet, licet eum non intelligat. Timeat igitur homo Deum et servet praecepta ejus (3, 34. 5, 6. 12, 13.); fruatur (tamen caute 11, 9.) vitae bonis, quae Deus ei tribuit (3, 12. 5, 18. 9, 9. etc.), nam summa est stultitia confici moerore (4, 5. etc.), quamquam et ipse Ecclesiastes moerorem, quo laceratur, et vitae taedium non potest dissimulare (7, 1—4. etc.). Omnino, quum perfectum quoddam bonum invenire non possit (6, 12.), eligat ex iis, quae ipsi proposita sunt, meliora et praestabiliora [*das relativ Gute*] (cf. 2, 13. C. 7. etc.). Hanc

---

159) Quacum sententia non pugnant, quae Ecclesiastes 1, 4—11. exponit. Nam h. l. non vult (quod nonnulli interpretes putaverunt) ostendere, sine ratione et consilio fieri omnia; sed hoc docet, hominem non intelligere consilium, ad quod totus rerum ordo per alternas vices decurrens dirigatur. Cf. praecipue 3, 11. 8, 17.

vero spem prorsus abjiciat, se ipsum unquam suo labore aliquid perfecturum, vel sua cogitatione rerum ordinem perspecturum et divina consilia investigaturum esse. Nam Deus voluit, hominem nihil certi cognoscere (7, 14. coll. 6, 12. 8, 7. et al.), ut humilitatis et infirmitatis suae semper memor maneret (3, 18 sq., de quo loco paulo post disseremus).

2) His praemissis in ea, quae ad nostram quaestionem pertinent, accuratius inquiremus.

De rebus post mortem futuris Ecclesiastes omnino eandem sententiam proponit, quam ut Mosaismi propriam in prima hujus libri parte explicavimus. Corpus hominis mortui in pulverem abit, spiritus ad Deum redit (12, 7.) [160]), animus autem i. e. ipse homo in Orcum descendit (9, 10.); bonorum malorumque in morte et post mortem nullum fit discrimen (9, 2 sq.). Hanc sortem Ecclesiastes adeo tristem et miseram esse censet, ut, si eam consideraverit, non possit non dubitare, num hominis mors a bestiarum interitu revera differat. Vid. 3, 19 sqq., qui locus cum iis, quae 12, 7. dicta sunt, non discrepat. Nam 12, 7. Ecclesiastes ea dicit, quae credit, altero loco ea exponit, quae intellexit, quum mente sua sortem hominis futuram scrutaretur. Persuasum habet, spiritum humanum ad Deum reverti (12, 7.), sed hoc ipsum num ita fiat, ut aliquod discrimen hominis et bestiae exsistat, explorare nequit. Nam etiam in bestiis inest ille spiritus vitalis, a Deo emissus, earundemque spiritus a divino numine retrahitur (Ps. 104, 29 sq.). Quis igitur novit, num alia ratione hominum, alia bestiarum spiritus ad Deum revertatur, num spiritus hominis, quemadmodum singulari modo a Deus est inflatus (vid. I. A. 2.), ita post mortem sursum elatus secernatur a spiritu bestiae deorsum descensuro (3, 21.). Hoc unum compertum habet homo, corpora et hominum et bestiarum in pulverem dissolvi.

3) Eatenus Ecclesiastes a disciplina antiquitus tradita non

---

160) Hoc loco non de animi beata immortalitate agi, jam ex iis perspicuum est, quae in prima parte de spiritus natura disputavimus. Nec minus, id quod Heyderus (l. c. p. 24.) recte monuit, ex totius loci 12, 1—7 ratione apparet, Ecclesiastem in v. 7. de beata animi immortalitate non cogitasse; nam reditum humani spiritus ad Deum pro vanitatis hominum argumento vult haberi. — Etiam iis, quae 5, 14 sq. dicta sunt, spes beatae immortalitatis excluditur.

discedit. Num forsan alia via eam superare et ad perfectiorem sententiam progredi conetur, paulo post videbimus. Jam enim ea quoque accuratius inspicienda sunt, quae de pietatis ac virtutis praemiis et de poenis ab improbis repetendis Ecclesiastes statuit. — Altera ex parte, ut supra dixi, Ecclesiastes firmiter tenet sententiam, Deum omnes homines in justum judicium esse vocaturum; altera ex parte iis, quae ipse expertus est, illa sententia prorsus tolli videtur. Ipse enim justos conspexit, qui quamvis justi essent, interierunt, et improbos, qui diu vixerunt in malitia sua (7, 15. coll. 8, 9. 10.). Ubi justitia debebat triumphare, ibi nequitiae locus datus erat (3, 16. coll. 4, 1.). — Qui nodus qua ratione expediendus sit, Ecclesiastes omnino non intelligit. Nihil proferre potest, nisi exspectatorum judiciorum moram fieri eo consilio (3, 18.), „*ut Deus homines exploret* [161]), *atque ut intelligatur*, *pecus esse ipsos sibi*," h. e. eos ipsos suae sortis arbitros (cf. 8, 8.) non magis esse quam pecudes, eosque bestiarum instar casus futuros neque prospicere neque evitare posse (cf. 9, 12.) [162]). Veruntamen procul habet hanc opinionem, ad prosperam adversamve fortunam, qualis sis aut quemadmodum vixeris, nihil interesse. Immo vero illam ipsam, quam ex rerum humanarum contemplatione concepit, dubitationem de Dei justitia, quum ratiocinationibus expellere nequeat, quasi vi profligat insigni illo dicto 8, 12 sq.: „*etiamsi peccator centies male agat et diu vivat*, *tamen scio*, *bene eventurum esse Dei cultoribus*, *qui eum verentur. At non bene eveniet impio*, *nec diu vivet*, *umbrae instar*, *quoniam non veretur Deum.*"

Illud autem divinum judicium, suum cuique distributurum, quod Ecclesiastes, quamvis jam de eo desperaverit, tamen rursus sperat, utrum terrestre erit, quale lex Mosaica denunciavit et prophetae praedixerunt, an post mortem demum eventurum? —

161) Vocis לְבָרָם eadem est sententia, ac si dictum esset לְנַסּוֹתָם. Saepe in Vet. Testamento Deus explorare dicitur homines, ut patefiat eorum fides, pietas, perseverantia. Sed revera divinarum tentationum consilium est hoc, ut ipsi homines intelligant, num firmam habeant in Deo repositam fiduciam etc. — Simili ratione h. l. Deus homines explorare dicitur, quum eos inscientiae suae et imbecillitatis convincat.

162) Aliam eamque acutam hujus loci interpretationem proposuit Heyder l. c. p. 12 sqq., quae tamen nimis artificiosa videtur.

Illa sententia probari videtur iis, quae 2, 26. 7, 18. 26. 8, 13. 9, 5. dicta sunt. At quae Ecclesiastes 11, 9. et 12, 14. profert, ea, nisi verba velis extenuare, ad terrestres tantum poenas, quas lex Mosaica impiis minatur, revocari nequeunt, sed ad judicium in animas exercendum referenda videntur [163]).

Quo tempore et loco, nec non qua ratione hoc judicium agendum sit, Ecclesiastes non indicat, et ipse hac in re haesitavisse videtur. Quod non mirabimur, si consideraverimus, quam ambigue Alexandrinus ille Sapientiae liber, quamvis celsiorem scientiam prae se ferat [164]), eadem de re disserat, quippe qui judicium terrestre, improbis imminens, et supplicia de animis impiorum sumenda in unum confundat et inter se permisceat. (Cf. praecipue 4, 16. — 5, 23). Similiter Ecclesiastae de hac re sententia obscuritate non plane libera fuisse videtur, unde intelligi potest, cur illa in libro ejus non modo latius non patuerit, sed etiam pluribus locis repugnare videatur.

Sed alia ratione Ecclesiastes dux est ad perfectiorem scientiam animos dirigens. Nam ut plane perspicuum fieret, quae Mosaismus exhiberet promissa, desiderio piorum nullo modo satisfacere posse, necesse erat, mens Hebraeorum etiam altius, quam

---

163) Recte Knobel in Comm. ad Kohel. 12, 14. dicit: „*betrachtet man die Stelle unbefangen, so muss man den Gedanken an ein förmliches Gericht, wie man es sich als nach dem Tode eintretend denkt, darin anerkennen. Darauf führt* 1) *schon der Ausdruck, dass Gott jede That in das Gericht d. h. vor seinem Richterstuhl zur richterlichen Beurtheilung bringen werde, so wie* 2) *der Ausdruck, dass dieses Gericht über alles Verborgene werde abgehalten werden*" etc. — Sed nullo modo ex hac re, id quod Knobelius voluit, demonstrari potest, universum locum 12, 9—14. Ecclesiastae esse abjudicandum. Nam eandem sententiam, quae 12, 14. expressa est, Ecclesiastes proposuit 11, 9. Quo loco, quum verba על־כל־אלה ad praecedentia בדרכי לבך ובמראי עיניך referenda sint, perspicue declaratur, Deum de omnibus hominum consiliis, studiis, cupiditatibus judicium acturum esse. Quapropter hic locus cum iis, quae 12, 14. dicta sunt, plane consentit.

164) Et ita quidem, ut Alexandrinus Salomo Palaestinensem Ecclesiastem (vel rectius pravos ejus sectatores, qui ex libro Koheleth nonnisi, quae ipsorum licentiae convenirent, assumserant) castigare et redarguere velit. Etenim hoc certum videtur, auctorem libri Sapientiae libri Koheleth rationem habuisse.

Psalmis nonnullis et libro Jobi [165]) factum erat, descenderet in hanc cognitionem, in rebus terrestribus omnino verum pietatis praemium non esse reponendum, sed illas per se vanas esse, nec ullum verae felicitatis fructum ex se progignere posse. Quod quum Ecclesiastes luculenter exposuerit, et ipse spei aeternae vitae, quam Evangelium patefecit, viam munivit [166]).

Qua ratione in Alexandrinorum Judaeorum theologia dogmata Platonicae philosophiae et Veteris Testamenti inter se sint consociata, ut doctrina de beata proborum sapientiumque immortalitate exsisteret, hoc loco nolo exponere. Id unum moneo, Alexandrinos speciem quidem aeternae vitae obtulisse, sed reapse ea extenuasse, quae de indissolubili atque aeterna piorum cum Deo communitate Davides et Assaphus erant augurati. Iidemque quum dogma de resurrectione mortuorum respuerent, ab ea vitae via, quam Vet. Testamentum commonstraverat, longe aberraverunt.

Hoc nimirum ratum manere debuit, veram ac firmam de vita aeterna sententiam rem esse non ab hominibus excogitandam, sed ab ipso Deo patefaciendam.

---

165) Liber Jobi, quamvis acriter hoc defendat, hominis dignitatem ex rebus externis non esse aestimandam, tamen res externas per se vanas esse adeo non intelligit, ut postremo ad eandem, quam ipse impugnaverat sententiam recurrat.

166) Cf. Prolegom. z. Theol. d. A. T. p. 90 sq.



Vratislaviae, typis Grassii, Barthii et socii.





